



36
15 C
12



DE DIVINIS SCRIPTVRIS, QVAVIS PASSIM LINGVA NON LEGENDIS: SIMVL ET DE SACRIFICIO

Missæ, cæterísque officijs in Ecclesia Christi, Hebræa tantùm, Græca, aut Latina lingua celebrandis,

ADVERSVS NOSTRAE AETATIS HAERETICOS LIBER VNVS


D. Iacobi Ledesmæ Theologi Societatis IESV.



COLONIAE

Apud Geruinum Calenium, & hæredes Iohannis Quentel. Anno M. D. LXXIIII.

Cum gratia & priuilegio Cæsar. Maiest. in decennium.



AD PIVM LECTOREM.

CVM ardētiori iam diù tenerer desiderio Ecclesiam Catholicam, in præsenti, communique omniū periculo, ex tot tamque diuersarum hæresum colluuie exorto, pro viribus adiuuandi: consilio communicato cum ijs, ex quibus vitæ meæ totius ratio, ex religionis nostræ præscripto, pendebat: statui, quantum mihi per occupationes licuisset, succisiuis horis, aliquid conscribere, quod his miserrimis & calamitosissimis temporibus (adiuuante IESV, cui labor hic totus noster desudat) prodesse posset. Cumque multa occurrerent longioris operæ ac temporis, desiderium autem communis vtilitatis vrgeret: deligere statui primùm omnium id, quod & vtile maximè fore, & breuissimo tēpore absolui posse videretur. Itaque aduersus nostræ ætatis hæreticorum sacrilegum & schismaticum religionis ritum & morem, vnà cum ipsa hæresi nuper inductum, & in Ecclesiæ diuisionem, fidei, ac Catholicæ religionis interitum, callidè excogitatum: quo vulgari cuncta lingua peragunt, & sic sacra omnia fieri, & diuina officia, ac publicas omnes orationes in Ecclesia peragi debere, impudentissimè contendunt: disputationem valdè, nî fallor, necessariam, suscipiendam putaui. Videbam enim, si causam hanc (Christo authore) obtinerē, hisce religi-

onis nouatoribus plurimùm incõmodari posse, imò verò omnes praui cultûs eorum rationes prorsus euerti: contrà verò Ecclesiæ, fideique, ac Catholicæ religionis vnitati, ea ratione maximè prospici. Me igitur, pie lector, hæc minuta duo in Ecclesiæ gazophylacium cum vetula euangelica, ex mea tenuitate & angustijs offerẽtem, hilari animo suscipe. Quòd si IESVS concesserit, plura posteà, & quidem breuì, cumulatiùs offeremus. Interreà pro Ecclesiæ Catholicæ propagatione, eiusque incolumi statu, ac religionis conseruatione, necnon pro meipso inutili Christi seruo, eius causam agente, ipsum Deum, ac Dominum nostrum IESVM Christum Dei filium, eiusq́ virginem matrem gloriosissimam, assiduis precibus, ora atque exora: & vale in Christo IESV. Romæ. Anno M.D.LXXIII. die XIX. Decembris.

HIC liber IACOBI LEDESIMAE Theologi Societatis IESV, De diuinis scripturis quauis passim lingua nõ legendis, & de sacrificio Missæ, cęterisque officijs in Ecclesia Christi, Hebræa tantùm, Græca, aut Latina lingua celebrandis, non modò per omnia Catholicus est, sed etiã hoc potissimùm tempore apprimè vtilis. Quod atteftor propriæ manûs signo.

Ego F. Theodoricus Buscoducensis, S. Theologię ac Dominicani instituti apud Coloniam professor, & hæreticæ prauitatis Inquisitor Apostolicus.

INDEX CAPITVM.

Quòd

RATIONES.

OBIECTIONES LVTHERANORVM, aliorumq; hęreticorum, & earum cõfutationes.

OBIECTIONES RATIONVM.

BRE-

BREVIS INDEX EORVM, QVAE IN HOC LIBELLO NOTATV DIGNA OCCVRRVNT.

Corrigantur numeri aliquot post 224. vsque ad 241.

FINIS.

DE

DE DIVINIS SCRIPTVRIS, QVAVIS PASSIM LINGVA NON LEGENDIS: SIMVL ET de Sacrificio Missæ, cæterisque officijs in Ecclesia Christi, Hebrça tantùm, Grçca, aut Latina lingua celebrandis,

ADVERSVS NOSTRAE AETATIS HAERETICOS LIBER VNVS D. Iacobi Ledesimæ Theologi Societatis IESV.

A quibus, & qua de causa circa sacros libros & diuina officia nostro seculo immutatio inuecta sit: ac de tribus eorum erroribus, & huius tractationis vtilitate.

CAPVT I.



IVINA fides, & religio eam habent inter se cõiunctionem atque affinitatem, vt vix vnam sine altera lædi contingat: ita vt qui fidei aduersetur, mox quasi effre-

nato quodam impetu religionem violare contendat: & rursus, qui sacrilego pectore religionem abijciat, in impietatem è vestigio, & errores varios præceps labatur. Haud secùs contigit, calamitosis nostris temporibus: nam cùm primùm noua Lutheri fides, seu perfidia in orbem inuecta est; de publico pariter religionis cultu immutando, deque sacrorum librorum versione, consilio ad eam rem appositissimo, omnibus promulganda, inter ipsos hęreticos agitari est cœptum: illis summopere contendentibus, oportere passim in quauis lingua verterentur; quasi magnum inde emolumentum vniuersus esset Christianus orbis consequuturus. Sic enim callidi homines putarunt, si sacras literas, & recondita Euangeliorum arcana populo rudi & nouitatis auido, sine vllo personarum delectu, proposuissent; suas etiam hæreses, ex locis ibidem ostensis, & malè intellectis haud difficilè eisdem se posse obtrudere, paulatimq; nullo negocio easdem pertotum orbem disseminare. Qui profectò

1. error. De vulgari versione sine delectu personarū omnibus permittenda.

sacri-

ſacrilegus eorum conatus, non ſine ingenti bonorum & piorum omnium mœrore, ac dolore, ſatis illis ex voto ſucceſſit.

II. error. De oratione Eccleſiæ publica, non aliter licere, nec prodeſſe, quā vulgari lingua.

Præterea de oratione Eccleſiæ publica aſſerit quoque Caluinus, Galliæ luctuoſiſſima peſtis, in decimum quartum caput prioris Epiſtolæ ad Corinthios, Apoſtolum prohibuiſſe, vt non alia quàm vulgari lingua fiat; nec poſſe quenquam orationis publicæ eſſe participē, niſi intelligat idioma, quo publica oratio recitatur.


III. error. De ſacro Miſſa & diuinis officijs vulgari lingua celebrandis.

Sacrum quoq; Miſſæ, quā cœnam iſti vocare Eccleſiæ odio potiùs volunt, cæteraque officia diuina vulgari ſermone celebrari oportere: tum ab eodem Caluino, tum modò maximè, ſumma à reliquis noſtri ſeculi hęreticis contentione defenditur; & re ipſa, auſu ſacrilego, in omnibus penè eorum ſynagogis id publicè vſurpatur. Operępretium itaq; fore exiſtimaui, ſi hāc eorum temerariam & impiam, tantoque ipſorum ſcelerato conſenſu receptam conſuetudinem, quātum Dominus conceſſerit, coarguerem.

Vtilitas huius tractationis, & rei ipſius magnitudo ac dignitas.

Sic enim mihi persuadebã futurum, vt quasi de tota causa religionis cum ipsis in hac vna confligerem; & sic in ipsius totius religionis cultu publico, & omnium diuinorum Mysteriorum celebratione, & cultus ratione vniuersam eorum religionem falsam ostenderem: cùm publicum suæ religionis morẽ apud eosdem receptissimum & celeberrimum, verè autẽ impium & sacrilegũ manifestissimè sacrarum literarum testimonijs, & sanctorum perpetua, & Apostolica traditione confutarem. vt ita, quoties execrãda illa sua sacra peragunt, quoties scelestos suos illos exercent ritus, & quoties seditiosos illos conuentus cogunt; toties se aduersus Christum palàm agere conspiciant: vtque, qualis illa sit, eorum fides, & religio, quæ cultum tam perniciosum contra perpetuam Apostolorum traditionem in Ecclesiam inuexerit, cunctis innotescat: & denique, vt ipsi, quoties hæc agunt, toties publicum contra se, his nefarijs factis quotidie ferre testimonium intelligant. Et quanuis hac de

re doctissimi aliquot viri (licèt non ita multi) ante nos scripserint, non erit ideo superfluus noster labor iudicandus; si quidem & quæ ab illis rectè pluribus & diuersis locis dicta sunt, in vnum hîc nos collecta proponimus; & multa interim alia, haud parui momenti, vt lector inspiciet, superaddimus. Et causa præterea huiusmodi est, in quam multi meritò scriptores incumbant, de publico, inquam, ipsius religionis cultu; in qua quidem re totius ferè religionis cardo versari non immeritò videri possit. Sed de hac iam execranda, sacrilega, & Apostolorum traditioni contraria, vulgari Missæ, & officiorum diuinorum celebratione, ac publicæ Ecclesiæ orationis vernaculæ linguę prophana recitatione, & scripturarum in omnibus linguis versione disseramus.



De quibus agendum, & quo ordine.

CAPVT II.

Scopus & finis totius disputationis. IGitur, pro fide Catholica ſcopus hic præcipuus noſtrę diſputationis erit, vt oſtendamus diuinas ſcripturas nō eſſe quauis paſſim vulgari lingua vertendas, nec omnibus ſine diſcrimine cōmunicandas; deinde errorem eſſe, aſſerere, quod noſtri hæretici & faciunt & dogmatizant; nempe non licere aliter, quàm vulgari lingua, ſacra facere, vel diuina officia celebrare, vel publicas orationes in Eccleſia non aliter, quàm lingua vernacula, recitare, aut ita debere fieri, aut ſic magis expedire.

Diſputationis partitio & ordo.

I. Primò autē de ſacris literis, ſacroque Miſſæ, & officijs diuinis, vndecim primis capitibus.

II. Deinde de oratione publica propiùs contra Caluinum tribus alijs ſequentibus diſputabimus.

III. Cùm autē hæ materiæ inter ſe ſint connexæ, quæ propria quidem erunt ſingularū, ſeorſim tractabimus; quæ verò communia, communi quoque diſpu-

disputatione pariter concludemus, ne videlicet eadem sæpius nobis sint repetenda.

Igitur, de sacris literis, sacrificio IIII.
Missæ, & officijs diuinis, seruabimus huc ordinem; vt incipiamus ab ipsa prima sacrarum literarum editione, 1.
& liturgiarum, seu officij Missæ conscriptione primo omnium capite, tanquam à primo fundamento totius futuræ nostræ disputationis.

Deinde sequentibus capitibus o- 2.
stendemus, tum Christi tempore, tum à Christo postea tempore Apostolorum, & ab Apostolis ad nos vsque, vsu & traditione perpetua in Dei Ecclesia Catholica contrarium semper huic istorum errori, prauęque consuetudini fuisse obseruatum; atque ita constante semper aduersus illos traditione Apostolica, & continēte Ecclesiæ consuetudine pugnabimus.

Deinde à decimo quinto capite, 3.
vsque ad vigesimum secūdum, ostendemus, eam traditionem esse vtilissimam & decentissimam, atque adeò retinendam, tam in sacro & diuinis

officijs,quàm in publica Ecclesię oratione & versione.

4. Postremò, nulla ratione hac in re cum hæreticis conniuendum, aut eis licentia permittenda, sicut nec in cęteris eorum hæreticis petitionibus, capitibus duobus ostendemus.

5. Ad extremum decem vltimis capitibus aduersariorum obiectiones proponemus,& earum cõfutationes.

6. In singulis autem huius tractationis partibus,primùm sacris literis, deinde sanctorum patrum testimonijs, tum perspicuis, & firmissimis rationibus agemus.Hunc ergo ordinẽ & disserendi viam ac rationem sequemur, quem iam, Christo duce & Auspice, aggrediamur.

PRO FIDE CATHOLICA.

Quòd sit error asserere, non licere aliter fieri sacrum,vel officia diuina, quàm lingua vulgari, vel id magis expedire, aut quauis paßim lingua sacras scripturas verti debere.

Ac primò, quòd sacræ literæ, sacrum & diuina officia à temporibus Apostolorum sint tradita & celebrata Latinè, Græcè,& Hebraicè,& non alijs paßim linguis vulgaribus.

Ostenditur vera & succincta historica narratione additis eius rei causis.

CAPVT III.

IGitur, vt polliciti sumus, ab ipsa prima sacrorum editione & scriptione initium faciamus, ostẽdamusq; sacrum, & diuina officia à temporibus Apostolorũ tradita & celebrata esse, sacrasque literas à diuinis scriptoribus scriptas Hebraicè tantùm, Græcè, & Latinè, alijs verò vulgaribus linguis, non nisi quibusdam & quidem rariùs permissum; id autem breui, vera, manifestâq; narratione demonstremus.

Cõstat ergo primò Apostolos Græcè tantùm, aut Hebraicè Euãgelium cõscripsisse, sed & paulò pòst, eorundem tempore, Latinè fuisse conuersum. Vetus quoq; Testamentum Hebraicè fuisse scriptũ, tũ à Moyse, tum à cæteris prophetis, & scriptoribus manifestum est. præter Tobiæ librũ, & Iudith, & Danielem; qui, vt D. refert Hieronymus, Chaldaicè (quæ tamen lingua est Hebraicæ finitima) fuere conscripti. Et Iob, qui etiam He- 1.

Vetus Testamentum scriptum Hebraicè.

D. Hieronym.

braicè, (quanuis cum Arabica, & Syriaca etiam lingua multam habeat eius dictio affinitatem) & Sapiẽtiam, qui etiam Græcè. Nam Machabæorũ primum librum Hebraicè scriptũ reperisse se ait D. Hieronymus, secundum verò tantùm Græcè: atque hæc omnia ex eodem D. Hieronymo liquent in ipsius prologis sacrorũ voluminum; & ex ipsismet libris Bibliorum, qui hodie Hebraicè, aut Chaldaicè extant, cognosci potest. Itaque veteris legis scriptores Hebraicè (paucis tantùm demptis, qui vel Chaldaica lingua, Hebraicæ proxima, vel Græcà) sacra volumina scripserunt.

D. Hierony.

Deinde Græcè tantùm vetus testamentum, annis 1200. post Moysen, ante incarnationem verò annis 341. tempore Ptolemæi Philadelphi Regis Aegyptiorum, qui id transferendum curauit, à Septuaginta fuit interpretibus conuersum, aut saltem lex & prophetæ. Fuerũt postea & aliæ Græcæ versiones, Aquilæ nempe, Symmachi, Theodotiõis, & quinta deinde, ac sexta editio, quæ simul omnes vno vo-

Vetus testamentũ Græcè tantùm ante aduentũ Christi cõuersum. Eusebius.

volumine circunferebantur,& vocabantur Hexapla, ab Origene collecta, omniaq; Græca. atq; hæc oīa ipsimet aduersarij facilè cōcedunt,& tam nota sunt, vt nulla alia indigeāt probatione. Hactenus itaque de veteri lege constitit, Hebraicè tantùm, aut etiam partim Grçcè conscriptam & versam solū esse ante Christi aduentū grçcè. *Origenes.*

11. Nouum deinde testamentū, Græcè tantùm ab Apostolis fuit conscriptum, pter Euangelium D. Matthæi, quod fuit ab illo scriptū Hebraicè, vt ait D. Hierony. in plogo in Matthçum, & Eusebius lib.3. Ecclesiast. histo. cap.24. vel, vt alij volunt, Chaldaica lingua, aut Hebraica vulgari. Idem prætere a D. Hieronymus libro de viris illustribus, ait, D. Bartholomæum Hebraicum Euangeliū Matthæi prædicasse,& Alexandriam secum reuertentem retulisse. Item ex D. Pauli Epistolis sola Epistola ad Hebræos fuit quoque Hebraicè primùm edita, vtpotè ad Hebræos missa, vt ait idem Hieronymus: Nam Epistola ad Romanos edita fuit Græcè, quanuis ali-
Nouū testamentū Grecè scriptum. *Eusebius Cæsariensis.* *D. Hierony.*

qui

III. qui falsò putent Latinè.

Sacrorũ Bibliorum Latina versio à temporibus Apostolorum. Rursus in Ecclesia Latina, sacrorũ Bibliorum Latina versio videtur statim fuisse à temporibus Apostolorũ; siquidem D. Hieronymus in prologo Iosue, ante ipsum quoque asserit plures fuisse Latinas versiones: & ea causa fuit, cur nouã versionem edere voluerit, & vulgatam Ecclesiæ editionem correxerit; vt ipsemet asserit. *D. Hieronym.* Et plures iam tũc fuisse versiones refert D. Augustinus 2. de doctrina Christiana, & Diuus Isidorus quoque, & pluribus alijs locis idẽmet D. Augustinus ac cæteri Doctores editionis vulgatæ meminerunt. *D. August. D. Isidorus.* Non verò scripserunt Apostoli in alijs linguis vulgaribus, Germanicè, Gallicè, Hispanicè, Arabicè, Persicè, Aegyptiacè, Aethiopicè, Scythicè, Armenicè, &c. quanuis in omnibus ijs regionibus Euangeliũ prædicauerint, & eis Euãgelium tradiderint: sed solùm Hebraicè, aut Græcè, & paulò pòst, eorundem tempore fuit cõuersum Latinè, vt ostensum est. Atque hactenus de sacris Biblijs.

At

At de Missa, & sacrorum, ac diui- IIII.
norum officiorũ celebratione, idem *Missa, et eius celebratio,*
ostenditur. D. Iacobus,& D. Basilius *Hebraicè & Græcè cõscripta.*
Liturgias, hoc est, sacrificij Missæ
celebrationem, conscripserũt, vt ha- *D. Basilius.*
betur de consecr. dist. 1. can. Iacobus.
& idem habetur in sexta Synodo can.
32. vnde Canon ille desumptus est, &
extant ipsorũ hodie liturgię. Et qui-
dem D. Iacobus Hebraicè, aut Chal-
daicè, vt alij volunt, quæ quidem ex-
tat, & qua vti hodie videntur aliqui
Asiæ populi,& olim apud Iudæam. D.
verò Basilius Græcè, D. quoq; Chry- *D Chrysost.*
sostomus,& D. Epiphanius Græcè si- *D. Epiphanius.*
militer liturgias scripserũt, vt ex ipso-
rum scriptis constat, & ijsdem eorum
liturgijs. V.

Iam verò D. Petrus, Latinè Missæ *Missa, et eius celebratio Latinis primùm à Diuo Petro tradita.*
celebrationẽ tradidit primus omni-
um, vt ait D. Isidorus lib. primo offic.
cap. 15. & Hugo de officijs Ecclesia- *D. Isidorus.*
sticis. Ac certum est sic eam semper *Hugo.*
habuisse Ecclesiam Romanam,& ha-
bere modò Latino sermone conscri-
ptam. D. Ambrosius Latinè quoque *D. Ambrosius*
conscripsit, cuius vsus perseuerat ad-
huc

D. Isidorus.

huc Mediolani. D. item Isidorus Latinè, quo olim vtebantur in Hispania: hodie etiam in huius rei memoriam in quodā sacello primarij templi Toletani institutum est, vt eo modo, quo illic habetur in Missali D. Isidori, fiat sacrum.

VI Missæ celebratio non fuit ab illis primis patribus scripta aut tradita, Germanicè, Arabicè, Aegyptiacè, Gallicè, &c. quibus tamen omnibus linguis Euangelium prædicarunt. nec contrariū ab Hæretico ostendi potest.

Perspicuū est igitur, & citra vllā dubitationē, Missæ quoq; celebrationē fuisse ab Apostolis & primis illis sanctis patribus, non Germanicè, Arabicè, Armenicè, Aegyptiacè, Lybicè, Gallicè, Anglicè, aut cęteris gentiū idiomatis; verùm tribus illis linguis, Latinè scilicet, Græcè, atq; Hebraicè, conscriptā & traditā: Quibus & Gręca & Latina Ecclesia Occidētalis atq; Orientalis vtebātur, & vtūtur modò. Neq; verò facilè quiuis poterit ꝓbare, ante hæc Lutheranorum tempora, sacra aut diuina officia ab Apostolis, aut ab alijs eorum discipulis, olim fuisse tradita, aut celebrata Germanicè, Anglicè, Gallicè, & cæteris linguis vulgaribus. Sed contrà vsq; ad p̄sens tempus latè in Ecclesia Occidentali Latinæ linguæ vsus in officiorū diuinorum

norũ celebratione ſemper patuit, & retentus eſt, vt apud Græcos Græcè quoq;, & apud alios pleroſq; Orientales Hebraicè, quo ſcilicet ſermone conſcripta fuere. Quòd ſi in paucis q-buſdã locis aliquando ob neceſſitatẽ, vel ob miniſtrorum penuriã, & ignorantiam, vel ob hæreſes, & ſchiſmata, vt poſtea oſtendemus, vulgari ſermone, aut omnia, aut aliqua horũ fuerũt immutata; legitimus tamen & celeberrimus, frequẽtiſſimus & optimus vſus ſemper fuit Latinè tantũ, Grçcè, aut Hebraicè, vt ab Apoſtolis acceperant: ſicut poſtea etiam luce clariùs ſuo loco conſtabit.

VII. Cauſa, cur tribus his linguis, Hebraicè, Græcè, & Latinè, ſacra & diuina officia, Apoſtoli & eorum diſcipuli potius quàm alijs tradi voluerunt.

Iam verò non immeritò, tribus ijs potiſſimùm linguis tum legem ſcribi diuinam, tum tradi ſacra & diuina officia, Apoſtoli & eorum diſcipuli voluerunt potiùs quàm alijs: Quòd illæ tres linguæ eſſent vniuerſaliſſimæ, & maximè communes, & quæ ſe per plures regiones diffuderant: vt Hebraica p totum fermè Orientẽ; oẽs etenim Chaldaicè, aut Syriacè, hoc eſt Hebraicè ferè corruptè, loquuntur.

1. cauſa.

tur. Græca verò per totã Græciã, & Asiam minorẽ olim, ac varias alias prouincias latè patet, & patuit. Latina autem per magnam Europæ vagatur partem, imò per totum Romanum Imperium eo tempore nota erat, & aliqui reperiebantur semper, vt verisimile est, qui Latinè loquerentur: nã populi discere solent eorum linguã, sub quorum sunt imperio. Item aliæ regiones, licèt diuersa vulgari lingua loquerentur; tamen Latinè intelligebant propter commercium cum populo Romano, vel propter subiectionem, atq; adeò pleriq; Latinè sciebant & discebant, etiã peregrinarum regionum; vt Mercatores, Milites, Iudices, Principes, & fœderati, pręter eos, qui sub ditione Imperij Romani tenebantur, cùm ad id ob varia negotia tractanda cogerentur. Imò verò hodie quoque nullę alię linguę sunt istis tribus communiores, pluribúsve nationibus & regionibus notiores, cùm sint multi qui vacent Latinis literis & Gręcis, potissimũ in Europa, & Gręcis item atq; Hebraicis, etiam
in

in Aſia, & Africa, pſertim apud Chriſtianos non pauci.

Præterea meritò hæ ſunt preferendæ, cùm in iſtis tribus ſint conſcriptæ omnes ſcientiæ & oīm diſciplinarū & optimarū artiū libri, tum Theologiæ, tum Philoſophiæ, tum Dialecticæ, tum Medicinæ, tum Mathematicarū diſciplinarum, tum denique aliarum omnium diuinarum & humanarum rerum. Adde etiam Imperij & multarum ciuitatum iura & Canonum decreta, & Ciuile ius & Eccleſiaſticum. & ideo in eis plectiones omnium facultatum frequenter fieri conſueuerunt. atq; adeò hæ tres meritò in Academijs potiſſimùm traduntur & diſcuntur. Quamob rem maximè expedit, vt ſacrificium Miſſæ, & diuina officia in ea lingua celebrentur, quæ totius orbis prouincijs inter oēs eſt communior: communiſſima, inquam, lingua, vniuerſaliſſima, vulgatiſſima, notiſſima, præſtantiſſima, & vtiliſſima, & cuius cognitio digniſſima, & præ cæteris neceſſaria, & eademum, quam omnes, quantum fieri II. cauſa.

 poſſit,

poſſit, etiam diuerſarum linguarum homines, intelligant. huiuſmodi aũt eſt Grȩca, Latina & Hebraica lingua; in ijs igitur potiſſimùm, vt hodie fit, & ſemper factum eſt à temporibus Apoſtolorum, celebrandum.

III. cauſa. Deinde cùm primùm Euãgelium prædicatur, & lex Dei alicui prouinciæ, vel primis alicuius populi hominibus, per quos ad alios debeat deriuari, promulgatur, (quod contigit Apoſtolorum tempore) meritò in eorum lingua ſcribi debuit, quam & ipſi intelligerent, quibus primis tradebatur; & in qua hæc illis tradita & literis conſignata religiosè cuſtodirent, cuſtodita ad alios incorrupta, & immutata tranſmitterent, & ſic ea in futurum perpetuò, eadem lingua ſcripta, inuiolatè conſeruãrent. atq; ideo meritò Hebræis Hebraicè, Græcis Græcè, Latinis Latinè, tradita fuerũt: quòd per hos ad reliquas omnes nationes, populos, & linguas debebant deriuari. At hi ipſi primi patres, & fidei authores nõ ita in reliquis linguis paſſim vulgaribus, quibus concionabantur,

bantur, ea paſſim ſcribi voluerũt, ſed neque per ipſorũ diſcipulos, pro ſingularum varietate linguarũ transferri curarunt. videbant enim in hoc maximum eſſe periculũ immutandæ & euertendę fidei ac religionis.

VIII. Non caret myſterio, tribus ijs linguis nouum & vetus teſtamẽtum, ſacra & diuina officia ſcripta, tradita, & celebrata ſemper fuiſſe.

Sed neq; carere myſterio videtur, quòd his tribus potiſſimùm linguis, ſpiritus ſanctus voluit, nouũ & vetus teſtamentum conſcribi, ſacra fieri, & diuina officia celebrari. Nam vt diuini conſilij cauſam aliam nõ reperiamus, tamẽ quoddã hîc cerni poteſt ſanctæ Trinitatis veſtigium, quod ſanè non eſt omnino cõtemnendum. tum etiã titulus crucis Saluatoris & redẽptoris noſtri Ieſu Chriſti haud perexiguũ nobis prębet huius diuinę voluntatis indicium: non enim ſine cauſa his tribus tantùm linguis, fuit ſcriptum, Latinè ſcilicet, Gręcè & Hebraicè, Lucę 23. *Luca 23.* Quòd videlicet illis potiſſimùm tribus Chriſti nomen lõgè, lateque, per totum orbem debebat celebrari.

Cõſtat itaq; nouum & vetus teſtamentum, ſacra & diuina officia, tradi-

ta & celebrata, his tribus linguis Latinè, Græcè, & Hebraicè, à temporibus Apoſtolorum vſque ad nos: neq; Apoſtolos paſſim omnibus vulgaribus linguis, ea conſcripſiſſe, aut tradidiſſe, cùm tamen pluribus, & diuerſis linguis, Euangelium prędicarint.

Iam verò ex dictis neceſſariò conſequitur, errorem eſſe aſſerere, non licere aliter, quàm lingua vulgari, ſacra aut officia diuina celebrare, aut quauis paſſim vulgari lingua ſacras literas eſſe vertendas, vel id magis expedire: de qua tamen re, iam preſſiùs agamus, ac primò incipiamus à Chriſti tempore.

Quòd tempore Chriſti Saluatoris noſtri non pauca vocabula erant iam mutata in vulgari Hebræorum ſermone, ab eo, in quo erant ſacra Biblia conſcripta, & diuina officia fiebant, imò etiã ante ipſum Chriſtum; oſtenditur ex ſacris literis.

CAPVT IIII.

MVltis quidem locis in nouo teſtamento referuntur vocabula & phraſes, quibus Iudæi Chriſti Saluatoris

ris noſtri tempore vtebantur: quę tamen ſunt Syriaca, aut Chaldaica, vel Hebraica corrupta, quęque Hebraico vero ſermone, quo ſacra Biblia erant conſcripta, longè aliter efferuntur. Vnde in Euangelio frequenter legimus, Hebraicè hoc aut illo modo dici, intelligitur autem vulgaris Iudæorum lingua, quę tunc erat Hebraica aliqua ex parte corrupta: ſicut hodie ferè Italica, plùs minùs, Latinę puriori collata. Hebraica verò pura, in qua ſacrę literę erant conſcriptæ, non immeritò quibuſdã iam fuiſſe videtur relegata ad Rabinos, & alios tantùm, qui literas diſcebãt, legis peritos & Doctores. Quòd autem iam tunc fuerint nõ pauca vocabula in vulgari Hebręòrum ſermone, ab eo diuerſa, in quo ſacra erant Biblia conſcripta, probatur ſequentibus teſtimonijs: quę quidem tum ex quorundam authorum obſeruatione, tum ex quodam linguę Hebraicę peritiſſimo accepta, referemus.

Iudæorũ Hebræa lingua iam erat corrupta tẽpore ſaluatoris noſtri, & multa habebat admixta Syriaca, aut Chaldaica.

Matth. 27. de pecunijs Iudę, quibus traditus fuit Chriſtus, ait ſcriptura,

 Con-

Consilio inito emerũt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum: propter hoc vocatus est ager ille hacheldemach, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem.

II. *Actuum 1.* Et Actuũ 1. de Iuda ait, Et hic quidẽ possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius, & notum factum est omnibus habitantibus Hierusalem, ita vt appellaretur ager ille lingua eorũ hacheldemach, hoc est, ager sanguinis.

At verò vox hæc, hacheldemach, est Syriaca, Hebraicè verò dicitur, sedchdam. item cùm dicitur lingua eorum sic appellari, perspicuè indicat, eam aliam esse linguam, scilicet

III. vulgarem eorum propriam.

Matt. 27. Marc. 15. Ioann 19. Item Matth. 27. & Marci 15. & Ioannis quoque 19. de loco, vbi Christus Iesus, Saluator noster, crucifixus est, dicitur, Hebraicè autem Golgotha, id est, caluariæ locus: quæ quidẽ vox est Syriaca, aut Chaldaica, nã Hebraica vox est, gulgoleth.

Præ-

Præterea Ioannis 19. sedisse ait Pilatum (cùm sententiam tulit aduersus Saluatorem) pro tribunali, in loco, qui dicebatur lithostrotos, Hebraicè autem, gabbatha, id est, excelsum, seu celsitudo, Syriaca, aut Chaldaica est vox; At Hebraica pura, ghibaa. IIII. Ioan. 19.

Marci 15. ait Saluator in cruce ad patrem, Heloi Heloi, lamazabacthani. id est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? At Hebraico sermone dicitur, Eli, Eli lama azabthani. V. Marc. 15.

Lucæ 13. cùm cecidit turris in Siloe, & Ioannis 9. cùm cæcus à natiuitate iubetur lauari in natatoria Siloe, quæ interpretatur missus, Hebraico autem sermone, non Siloe dicitur, sed Siloach. VI. Lucæ 13. Ioann. 9.

Lucæ 22. Marci 14. Ioannis 11. 13. 18. 19. & alijs locis, scripturæ, frequenter Pascha vocatur; At Hebraicè Phesah, Caldaicè verò Pizha. VII. Luc. 22. Marci 14. Ioan. 11. 13. 18. 19.

Ioan. 20. & Mar. 10. Maria Magdalena cũ esset apud sepulchrũ post re- VIII. Ioan. 20. Marci 10.

ſurrectionem cōuerſa ad Dominum, vocauit illum Rabboni, id eſt, Magiſter: At vſitatum nomen Hebraicè eſt, Rabbi. & ſimilia alia loca reperiri poterunt, in quibus vulgaris tunc linguæ Iudęorum ab ea, in qua ſcriptę iam erant ſacrę literæ, diuerſitas deprehendatur. ergo tempore Saluatoris vulgaris lingua Iudęorum non eadem omnino iā in omnibus vocabulis erat, quæ ſacrarum literarum veteris teſtamenti: ſed bona ex parte diuerſa, & vt Italica ferè corrupta hodie ad Latinam collata, ita illa plùs minùs ad Hebręam puriorem.

Alia Scripturæ teſtimonia.

CAPVT V.

IX. *Ex alijs teſtimonijs ſcripturæ idem colligitur.*

SVnt alia teſtimonia ſcripturę, ex qbus licèt diuerſa via idem tamen colligitur, non ſine probabili ratione. vt Ioan. 7. mirabantur Iudęi dicentes de Chriſto Redemptore noſtro, Quomodo hic literas ſcit, cùm non didiçerit, cùm ſcilicet audirent illum citantem ſacram ſcripturam, & interpretantem: & tamen ſi eodem omnino eſſent ſacrę li

Ioann. 7.

terę

literę cõſcriptę ſermone, ſcilicet prorſus vulgari, nulla erat, vt videtur, tantę admirationis cauſa; cum potuiſſet, vel ex alphabetica ſola puerili cognitione eas legere & citare, atque etiam, vt cæteri omnes alij, ſuo ſenſu exponere. meritò itaque mirabantur, cùm non poſſet ad talem tantamque doctrinæ magnitudinem peruenire literarum ignarus.

Item 2. ad Timoth. 3. D. Paulus hortatur Timotheum, vt permaneat in ijs, quæ didicit; & ſubiungit, Quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. At ſi vulgari & cõmuni prorſus ſermone erant tunc etiam ſacræ literæ, non magni aliquid D. Paulus de Timotheo diceret, cùm hoc eſſet toti fermè populo, imò omnibus pueris, qui prima elementa ab infantia diſcunt, commune. Sed ideo dictum videtur, quia cùm non eodem eſſent omnino ſermone conſcriptæ, ipſe Timotheus ab ipſa infantia, eis diſcendis, & intelligendis vacauerat, vt modò cõſueuerũt pueri 2. Timoth. 3.

Latinè in ſcholis diſcere; & in illis poſtea diligenter verſatus fuerat.

XI. *Actuum 4.* Rurſus Actuum 4. mirabātur Phariſæi Petri & Ioannis conſtantiam, comperto, ait ſcriptura, quòd homines eſſent ſine literis, & idiotæ. Quare indicatur iam aliquos eſſe, qui vacarent Hebraicis literis addiſcendis, ſicut modò Latinis, vtpotè iam aliqua ex parte à vulgari diuerſis, & Hebraica antiqua conſcriptis, quorum comparatione illi vocabantur idiotæ & ſine literis. vnde gloſſa ordinaria in hunc locum ait, Idiotę dicebantur, qui propria tantùm lingua, naturaliq́ue ſcientia contenti literarum ſtudia neſciebant. Itaque non paruā hæc coniecturam faciunt, & ſuperiùs allata teſtimonia etiam clariùs indicāt, Saluatoris noſtri tempore, imò & ante ipſum aliqua ex parte corruptam iam fuiſſe Hebraicā vulgarē, nec omnino eandem cū illa puriori. Sed ad reliqua pergamus extra Iudæā, in quibus maior adhuc diſtantia, & maior diuerſitas, imò linguarum omnino differentia cernitur.

Quòd tempore Christi Saluatoris nostri Iudæi dispersi in varijs prouincijs alijs linguis vulgariter loquebātur; et alia scilicet Hebraica, sacra Biblia scripta haberent, & diuina officia celebrarēt, imò etiā ante ipsum Christum.

CAPVT VI.

PRæterea ex alijs testimonijs etiam ipsorum Iudęorum varias fuisse vulgares linguas, ab Hebraica diuersas manifestè colligitur. Perspicuum est enim Iudæos fuisse per varias regiones & nationes, etiā diuersarum linguarum, ante ipsum Christum dispersos. Atqui hi, cùm diuersarum essent linguarum vulgariū, tamen sacris literis Hebraicè conscriptis, & officijs diuinis, eadem ipsa sola lingua Hebraica vtebantur. Etenim plurimi manserunt, sicut cernere licet apud Esdrā & Neemiā, inter Babylonios post captiuitatē, & apud Assyrios, lib. 1. cap. 2. 7. 8. & alijs; imò etiā ad Aegyptū tempore Hieremiæ nō pauci contenderūt, vt apparet Hieremiæ cap. 42. & 43. Aquila præterea Iudæus & Priscilla vxor eius, quos D. Paulus reperit, erant expulsi ab

XII. *Iudæi diuersarum linguarum, eisdem sacris literis Hebraicè tantùm scriptis vtebantur, et sacra ac diuina officia celebrabant.*

Esdræ lib. 1. cap. 2. 7. 8. & cætera.

Hieremiæ 42 & 43.

ab vrbe Roma: quia expulerat Claudius Iudæos, vt dicitur in Actis Apostolorum cap. 18. quare antea consequitur Romæ habitasse Iudæos.

Actuum 18.

XIII. Actuum 9. Et in dispersione discipulorum, ob persecutionẽ post mortem sancti Stephani protomartyris ortam, dicitur, quòd ibant discipuli Euangelizantes per varia loca, nemini loquentes verbum, nisi eis qui erant ex circuncisione. Actuum cap. 9.

XIIII. Actuum 6. Ampliùs hi, qui erant ex synagoga libertinorum & Alexandrinorum & Cyrenensium, (qui sunt Africæ populi) & eorum qui sunt ex Cilicia, & Asia, disputabant cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur, vt Actuum cap. 6. dicitur.

XV. Actuum 8. Ad hæc Actuum 8. Eunuchus Aethiops Candacis Reginę Aethiopum, qui longè alia vtuntur lingua, legebat rediens Hierosolyma ex sacris Biblijs Esaiam Prophetam, cuius locum illi interpretatus est sanctus Philippus, & eũdem postea satis instructum baptizauit.

Item

Item D. Paulus per ſynagogas Iudæorum in pleriſque quidem locis extra Iudæã, vt Damaſci, Epheſi, Corinthi, in Cypro & vrbe Roma, & alibi, Euangelium prędicauit, apud ipſos Iudæos, vt habetur in Actis Apoſtolorum, pluribus locis. XVI.

Et demum Actuum 2. cùm Apoſtoli loquerētur, accepto ſpiritu ſancto, varijs linguis, aderant tunc, vt ait ſcriptura, Iudæi religioſi, ex multis & varijs prouincijs, ac nationibus, diuerſarum linguarum, qui venerant ad diem feſtum. ſic enim ait, Erant autem Hieroſolymis habitantes Iudæi, viri religioſi ex omni natione, quę ſub cęlo eſt. Et paulò pòſt: Nónne ecce omnes iſti Galilæi ſunt, & quomodo nos audiuimus, vnuſquisq; linguam noſtram, in qua nati ſumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiã, Iudęam & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphiliam, Aegyptum & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenē, & aduenæ Romani, Iudęi quoque & Proſelyti, Cretes & Arabes, audiuimus eos loquentes XVII. Actuum 2.

tes

tes noſtris linguis magnalia Dei.

Apud Iudæos diuerſarũ linguarum non fuerũt verſa ſacra Biblia, nec ſacra & diuina officia vulgaribus eorũ linguis celebrata.

Iam ergo certum eſt, fuiſſe Iudæos ante ipſum Chriſtũ, tot & tam diuerſarum linguarũ vulgariũ, & omnes hi tamen Hebraicis Biblijs vtebantur, & ad ſacra, ritus, & ceremonias, & orationes, quæ Hieroſolymis per ſacerdotes fiebant Hebraicè, conueniebãt. Neq; verò conſtat, aut ſcitur, neque facilè quis vnquã oſtendet, in tot & tam diuerſis linguis, verſa fuiſſe vnquam ſacra Biblia, aut vetus teſtamẽtum ante Chriſtũ; aut in illis linguis Iudęorum ſacra, & officia eorum diuina cęlebrata. At nõ licet vllo pacto eorum temporum vniuerſam Synagogam condemnare, aut aſſerere, eam erraſſe, vel malè feciſſe, cùm tũc fuerit verè Eccleſia Dei. non ergo neceſſe eſt, quod contendunt hæretici, vt vulgari paſſim quauis lingua ſacra & diuina officia fiant, aut tradantur. Neque verò magis id expedire iudicauit antiqua Synagoga, ſed potiùs, vt ſolũ Hebraicè omnibus traderentur, & celebrarentur magis putauit conuenire; atque adeò id tantùm ſequuta eſt, & obſer-

ſeruauit religioſè. Confirmatius hoc fit, quia etiam Synagoga, eo tempore ſpiritu Dei ducebatur, & gubernabatur, & tamen eo ducta ſpiritu id potiùs ſequuta eſt. At hi noui homines, & Synagogam & ſpiritum ſanctum reprehendent, quòd non ita conſtituerit, vt pluribus linguis, aut omnibus, (vt ipſi volunt) ſacra ſcriptura, & ſacra myſteria conſcriberentur, & ſacra fierent, quibus illa omnes intelligerent. Deus tunc non ſic voluit, nec ſic ſtatuit, nec ita præcepit, vt ſacra Biblia, ſacráve myſteria, & diuina officia veteris legis in pluribus linguis conſcriberentur, aut traderentur, ſed ſolùm Hebraicè; cùm tamen Iudæi multarum nationum & linguarum per totum fermè orbem reperirentur. At hi Deum ipſum facti reprehendunt: & melius quid cogitant, & ſapientius quàm Deus ipſe, facere volunt, vt omnibus ſcilicet paſſim vulgaribus vertantur, & tradantur, & celebrentur; & quod impudētius eſt, ſic Deum velle & pręcipere mentiuntur, contra ipſum Deum.

Spiritus ſanctus, quo gubernabatur olim ſynagoga, nec id voluit, nec præcepit, præcipit tamen Lutherus & Caluinus, & eorum nequam ſpiritus.

Iſti Deum & ſpiritum ſanctum reprehendunt, & melius ac ſapientius quid facere volunt.

Quòd

Quòd post Christi ascensionem ab initio nascentis Ecclesiæ ad nos vsque, tum sacra Biblia, tum Missæ sacrificium, & officia diuina, alia lingua à vulgari diuersa, fuerint tradita; tum ab ipsis Apostolis, tum ab eorum discipulis; idq; pluribus & diuersarum linguarum nationibus.

Ac primò, ex traditione Apostolica.

CAPVT VII.

1. *Traditio Apostolica hæreticis aduersatur.*

ATq; hæc, quæ diximus, Christi tempore, & ante ipsum Christum sic se habuere; at iam idem post Christi ascensum ostendamus. Primùm omniũ iam constat, nouum testamentum, post Christum conscriptum ab Apostolis tantùm Græcè, præter Euangelium Matthæi, quod Hebraicè; & ex Hebræo deinde mox Apostolorum tempore, vel à D. Luca, vel à D. Ioanne vt alij volunt, versum quoque Græcè; ac paulò pòst etiam in Latina Ecclesia hæc omnia versa Latinè, vt suprà ostensum est. constat item Apostolos prędicasse Euangelium per varias nationes & populos, ac regiones linguis

D. Lucas. *D. Ioannes.*

dissi-

diffidentes, idque manifestum est, etiam ex suprà dictis, ex quo esse traditionem Apostolicam prorsus conuincitur.

Sed tamen vt clariùs traditio hæc Apostolica constet, quam isti violant, breuiter per quas, qualésve prouincias Euangeliũ disseminauerint, & quo illis sermone Euãgelium reliquerint, & sacra tradiderint, referamus. Primùm ergo constat, per totum penè orbem prædicasse, secundum præceptũ Domini, Prędicate Euangelium omni creaturæ. In Actis quoque Apostolorum eorum Euangelica prædicatio in pluribus regionibus describitur, & ex D. Pauli Epistolis, in quibus plurium meminit prouinciarum, idem colligitur. vnde illis, ad Roma. cap. 10. citans psalmum 18. palàm hoc asserit dicens, In omnẽ terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum. Et prętera, fuisse eos sortitos inter se diuersas prouincias, refert Eusebius lib. 3. cap. 1. Ecclesiasticæ historiæ, sic dicens: D. Thomas sortitus est Parthos, Mathęus Aethiopiam,

11. *Apostolos per varias regiones & prouincias diuersarum linguarum Euangelium prædicasse.*

Rom. 10. Psal. 18.

Eusebius Caesariensis.

Bartholomęus Indiam citeriorē, Andreas Scythiā, D. Ioannes Asiam, vbi apud Ephesum commoratus est,& sepultus, D. Petrus Pontum, Galatiā, Bithyniam, Cappadociā, cęterasq; cōfines prouincias, & ad vltimum in vrbe Roma commoratus; vbi & crucifixus est, deorsum capite inuerso. D. Paulus, vt de se ait ipsemet ad Roma. 16. ab Hierusalē vsq; ad Illyricū repleuit Euangelium Christi,& ad vltimū Romæ sub Nerone coronatus est. hęc ibi. Quot aūt in tot, tamq; latis regionibus linguas fuisse putamus, cùm sub vno Mithridatis imperio viginti duas fuisse linguas legamus? Ex comitibus D. Pauli Crescēs & D. Dionysius Areopagita ad Gallias missus est. Marcus D. Petri discipulus, primus in Aegypto Euāgelium prædicauit, & à Diuo Petro missus ibidem Alexandrinā Ecclesiam cōstituit & rexit. Iacobus minor Episcopus fuit Hierosolymitanus. atq; hęc etiā ex Eusebio. Sed Philippus quoque Samariæ & Eunucho Candacis Reginę Euangeliū annunciauit, vt habetur in Actis Apostolorū. Et D. Iacobus maior Scythis præ-

Eusebius.

Actuum 8.

dicauit, & apud Thraces, & in Hispania, vbi corpus eius Cōpostellā delatū, gloriose colitur. Et deniq; varij alij, per varias regiones & linguas; nā ideo acceperunt donū linguarū, vt diuersis regionibus, diuersarū linguarū, Euangeliū prędicarent. Itē D. Thomā Germanię fuisse Apostolū, & ibi Euangeliū prędicasse, asserit D. Hieron. in Catalogo, atq; Sophronius, & ante eū ex traditione patrū, vetustissimus martyr D. Dorotheus Tyrius, ante concilium Nicenum, clarissimus, in Synopsi: cui suffragatur illud, esse nempe vetustissimas Ecclesias in Germania, vt Oudtraiecti ad Rhenum, & Argentinæ, & alibi D. Thomæ dedicatas.

D. Hieronymus. Sophronius Dorotheus Tyrius.

111. Iam verò, cùm hoc sit, tamē cōstat, non eos omnibus ijs linguis, scripsisse nouum testamentū, vt suprà diximus, sed solùm Latinè, Gręcè, & Hebraicè, neq; ipsos id vertisse; sed neque legimus, id eos imperasse, vt fieret, neque factum est. Quare si oportebat, vulgari sermone passim, & sacra Biblia tradi necessariò, & sacrificium Christi celebrari, & officia diuina

Apostoli et eorum discipuli sacra, aut diuina officia, & sacra Biblia, nō in omnibus passim linguis tradiderūt, aut verterūt, nec id fieri mādarūt, nec ante hos

 per-

nostros nouatores religionis id factum est.

peragi (vt hęretici aiunt) haud dubiè condemnantur, & reprehẽdũtur ab eis Apostoli & eorum discipuli, qui id non fecerunt. condẽnantur, inquam, impiè, & flagitiosè, ingenti impudentia, ab eis, omnes Apostoli & eorum discipuli. Ipse Thomas non eis Germanicè conscripsit Euangelium, aut transcripsit, vel officia eis tradidit diuina Germanicè: At ipsi D. Thomã & factis & dogmate reprehendunt.

Istorum dogma & facta Apostolorum factis sunt cõtraria, & ipsos Apostolos, & discipulos Domini reprehẽdunt, & condemnant.

IIII. Rursus D. Marcus assumpto Euangelio, quod Gręcè conscripserat, perrexit Alexandriam, & ibi Ecclesiã magna sanctitate fundauit, & rexit. At debuisset, ad eos non Græcè, sed Aegyptiacè, Euangelium conscriptum deferre, vel ibidẽ certè conscribere.

V. Præterea D. Barnabas, vt idem ait Eusebius, vsque ad Indos Orientales citeriores penetrauit, & illis, eodẽ authore, reliquit Euangelium Matthæi Hebraico sermone cõscriptũ. At verò debuisset scribere, & relinquere, secundum hos Apostatas nostri temporis, non Hebraico, sed Indico sermone conscriptum Euangelium.

Eusebius Caesariensis.

De

De D. Bartholomæo, ait D. Hieronymus lib. de viris illuſtribus, Indis Euangelium Chriſti prędicaſſe, & eis Euangelium Matthæi tradidiſſe, & Alexandriam ſecum reuertentem retuliſſe: At debuiſſet Aegyptiacè ſecundum hos, & Indicè. VI. D. Hieronymus.

Ampliùs ipſemet D. Matthęus, qui Hebraicè ſcripſit, vt ait D. Hieronymus in prologo Matthęi, & Euſebius lib. 3. cap. 24. Eccleſiaſticę hiſtoriæ, non ſcripſit Indorum, aut Parthorum Medorúmve lingua, cũ tamẽ eſſet iturus ad Indos, & alias nationes: At Lutheranorum & Caluiniſtarum iudicio meliùs feciſſet, ſi conſcripſiſſet potiùs Indorum idiomate, aut eorũ, quibus Euangelium annunciabat; & ſingulis propria lingua tranſcriptũ reliquiſſet Euangelium, & diuina officia, quod non fecit. VII. D. Hierony. Euſeb. Cæſa.

Ad hęc, Epiſtolas ſuas Apoſtoli, vnico tãtùm idiomate, & vnica dialecto ſcripſerunt: cũ tamen populi, ad quos ſcripſerant, diuerſarũ eſſent dialectorum, & idiomatum. Imò D. Iacobus Apoſtolus duodecim tribubus, quæ VIII.

erant in diſperſione, Græcè ſcripſit: quanuis illorum alij inter Aſſyrios, & Chaldæos, alij inter Afros, alij inter Græcos, alij inter Latinos ſparſim viuerēt; & pręterea, quod plus eſt, cùm ipſi omnes natione Hebręi eſſent.

IX. D. item Petrus vnam Epiſtolā ſcripſit electis aduenis diſperſionis Pōti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithynię; quas prouincias dialectos habuiſſe diuerſas, cùm latè paterent, conſentaneum eſt.

X. D. itē Ioannis Epiſtola ad Parthos ſcripta eſt, ſicut Higinius Papa prima Epiſtola, & D. Auguſtinus lib. 2. quæſti. Euangel. q. 39. referunt.

Higin. Papa
D. Auguſtin.

XI. Sic etiā Paulus Romanis, quorū ꝓpria lingua erat Latina, ſcripſit Græcè; cęteras etiā Epiſtolas ad variarum prouinciarū populos, Corinthios nimirum, Galatas, Epheſios, Theſſal. vna & eadem dialecto tantùm ſcripſit.

XII. Imò verò D. ipſe Paulus in tot linguis debuiſſet Epiſtolas conſcribere, quot nationibus Euangelium tradidit linguarum diuerſarum, cæteri deniq; Apoſtoli tot linguis Euangeliū conſcri-

bere, in quot linguis prædicarunt, ſecundum iſtorum nouorũ pſeudoapoſtolorum decretum. præſertim quia Apoſtoli acceperunt linguarum donũ, & ita potuerũt in quauis lingua facilè conſcribere, & tamen noluerunt, nec fecerunt. Manet ergo, perſpicuè probata Apoſtolica traditio aduerſus hos. Sed iam poſt ipſos Apoſtolos, Catholicæ Eccleſiæ vſum & morem, ab illis acceptum, & traditione perpetua religiosè conſeruatum proſequamur.

Ex vſu Eccleſiæ tum Latinæ Occidentalis, tum Græcæ & Orientalis, atq; eius traditione.

CAPVT VIII.

IAm ergo ex vſu Eccleſię, & regulà traditionis Apoſtolicę idẽ omnino cõuincamus; ſic, inquã, olim Apoſtolos inſtituiſſe, & feciſſe. Ac primò in Occidẽtali Eccleſia Latina, deinde in Gręca & Orientali. A temporibus igitur Apoſtolorũ in Latinã linguã tum Biblia ſunt verſa, vt diximus, tum etiã ſacra facta eadem lingua, & diuina officia recitata; non ſolùm Romæ, ſed etiam in cõpluribus Occidentis regionibus, & prouincijs, 1.

In compluribus Occidentis regionibus diuerſarum linguarũ, ſacra & diuina officia, Latina lingua ſemper ab initio naſcentis Eccleſiæ celebrata.

& nationibus diuerſarum linguarum. Quod ſic probatur. Hodie videmus in Italia vniuerſa, in Germania, & Bohemia, Polonia, Pruſſia, Gallia, Belgica, & Celtica, & Aquitania, Anglia, Scotia, Hybernia, Hiſpania, & olim etiam in magna parte Africę, & alijs Occidentis partibus ſacra fieri, & facta fuiſſe à multis annis Latinè, & diuina officia quoque celebrata. Neque verò in iſtis prouincijs, vllum extat antiquitatis monumentum, vnquam facta fuiſſe, aut perſoluta antea proprio idiomate; neq; memoria, quādo hęc cœperint Latinè in eis fieri, aut dici. Et quanuis id de aliqua fortaſſe lingua, aut prouincia, quis cōminiſcatur, de cæteris omnibus vulgaribus linguis nō ita fingere poteſt. ergo neceſſariò cōuincitur eſſe hoc & fuiſſe traditionē Apoſtolicā; & per ipſos, vel per Apoſtolorū diſcipulos introductū in initio, in earum regionū conuerſione.

11. *Regula cognoſcēdi traditionē Apoſtolicā qua cōuincuntur propha-*

At dices, quo modo id probas? Reſpondeo per illā D. Auguſtini regulā: Si qua reperiatur in vniuerſali Eccleſia cōſuetudo circa fidē, cultúmve diui-

uinū, cuius in Apoſtolorū literis mē-tio nō fit, neq; in alio Concilio de nouo reperitur cōſtituta, & tamē origo neſciatur, neq; eius extet memoria; credendum eſt Apoſtolicam eſſe traditionem, & vt talem eſſe venerandā. Qua regula ſæpe vtitur D. Auguſtin. & ſæpe illa ſe defendit aduerſus Donatiſtas, qui in multis, quæ Apoſtolica traditione conſtabant, ſcripturā importunè petebant. Et tanti eam videtur feciſſe, vt centies illam repetat in ſuis operibus, & maximè libro de Baptiſmo contra Donatiſtas. Multa, inquit, non inueniuntur in Apoſtolorum literis, neque in Concilijs poſterorum, & tamen quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam, non niſi ab Apoſtolis tradita & commēdata creduntur. Et lib. 4. cōtra Donatiſtas ca. 24. Quod vniuerſa, inquit, tenet Eccleſia, neq; à Concilijs inſtitutū, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur. idē cōfirmat in Epiſtola ad Ianuariū & lib. 2. contra eoſdē Donatiſtas.

natores antique & Apoſtolicæ religionis.

D. Auguſt.

Beatiſſimus quoq; Leo in ſermo-

S. Leo Papa I.

ne 2. de Pentecoste, cum ipso D. Augustino consentiens, vniuersales oẽs Ecclesiæ consuetudines, de traditione Apostolica prodijsse, affirmat. Dubitandum, inquit, non est, quicquid ab Ecclesia in consuetudinem est deuotionis retẽtum, de traditione Apostolica, & sancti spiritus prodire doctrina. Quæ regula profectò maximè obseruanda, & religiosè custodiẽda, nullo autem modo contemnenda est; nisi volumus sacrilegè cõtra Dei prę-ceptum terminos transgredi, quos posuerunt patres nostri.

III.

In Germania, Gallia, Anglia, &c. ante Lutherum, sacra et diuina officia Latina lingua ab initio nascentis Ecclesiæ semper fuerunt celebrata.

Igitur cùm constet, in Germania, Gallia, Anglia, Hispania, & cæteris Occidentis regionibus, Latinè antea Missæ sacrificium, & diuina officia tradita, & celebrata, & citra originis memoriam; vtique confitendum est, atque adeò credendum, ex ipsa prima ipsarũ conuersione id incepisse. Nam hæc sola est causa, ratio, & origo, cur hodie sic retineãt, & retinuerint ante Lutherum. Quare quicunque aliud postulat, aut asserit non licere aliter, q̃ lingua vulgari fieri, is verè ad-

Heretici Apostolos et eorũ

uer-

uersatur Apostolis ipsis, & Apostolorum discipulis,& eorũ facta vult temerariè corrigere, & eos vel insipientiæ, vel imprudentię condemnare, q̃ hæc nesciuerint; vel impietatis redarguere, qui nõ ita fecerint, vt scilicet vulgari omnia lingua passim singulis quibusdã nationibus, & per singulas quasque linguas hæc tradiderint.

discipulos redarguũt, vel insipientiæ et imprudentiæ, qui id ita fieri debere nesciuerunt: vel impietatis, qui scilicet facere noluerũt.

Idem prorsus & eodẽ modo potest probari ex eadem regula traditionis de Gręca Ecclesia.Nã hodie videmus multas diuersarũ linguarum ꝓuincias,q̃ sacra Grecè faciunt,vt in vniuersa Gręcia,& in Asia minori & maiori non pauci,& in Moscouia,& in insulis Cretę & Cypro,& aliqui apud Aegyptum, imò & in Calabria, & Sicilia aliqui; & olim quoque Pontus, Bithynia,Cappadocia,Thracia,Cilicia, Antiochia, cum alijs Orientis regionibus Græcum sequebantur ritum,& Gręcè cũcta peragebant; cùm tamẽ inter hos plures, atq; diuersę linguæ & modò sint,& olim fuerint. IIII.

Apud ecclesiã Græcã eadem traditio, & apud alios, qui Græcè hodie celebrãt.

Idem ostẽdi potest de alijs, qui Hebraicè, seu Chaldaicè sacra, & officia diui- V.

Apud eos, qui hodie Hebra-

icè celebrãt eadem traditio.

diuina celebrant; id quod hodie præstant apud Iudæam aliqui,& apud Mesopotamiam,apud Armeniã non nulli, & apud Aethiopiam aliquot: imò apud Indos hodie Orientales prope flumen Indum degentes, satis notos Lusitanis, & nostris Patribus Societatis IESV habitantibus Goæ, quæ Lusitani Regis est insula, in ostio fluminis ipsius Indi sita; in sacris & diuinis officijs Hebraicæ linguæ vsus hactenus perseuerat. Hi etenim Indi Christiani Hebraicis Biblijs vsque in hodiernum diem vtuntur, & diuina peragunt officia, cum longè sit alia, ac diuersa vulgaris ipsorum lingua. qui quidẽ Indi Christiani D. Thomæ vocantur, & ab ipso D. Thoma profitentur se Euangelium accepisse. nec verò longè hi distant ab vrbe ipsa Calamine, in qua D. Thomas martyrio coronatus est.

VI.

Non possunt reddere rationem hæretici nostræ ætatis, cur sint

Iam tandem quid mihi respondeat Hæreticus, qui nihil vult admittere, quod nõ sit sacris literis expressum,ac Christi voce ac factis confirmatũ?agè Lutherane vel Caluinista, vel qs alius

us nouator religionis, agè, Christus non cōsecrauit Germanicè, aut Gallicè, aut Anglicè, &c. neq; Apostoli, neq; eorum discipuli, neq; eorū successores, neque alijs linguis vulgaribus; cur tu vis Germanicè, Gallicè, aut Anglicè, & omnibus vulgaribus linguis consecrare? Quare non potiùs imitaris Christum? vel Apostolos? & eorum discipulos? qui Latinè tātùm, Græcè, vel Hebraicè, officia diuina peregerunt, & celebrarunt? cur, inquam, contra eorum institutum, vis tu, vt omnes alij passim quauis vulgari lingua celebrent? quod ipsi non fecerūt, nec eorum successores, sed neq; expedire iudicarunt, aliàs profectò fecissent. cur, inquam, eos nō imitaris, & sequeris, sed illis contrarium potiùs facis, & alijs faciendum præscribis? planè te indicas ex Christi discipulis & Apostolorum non esse, sed omnino dissimilem; & nec tibi placere eorum religionem, cuius facta non probas, neque imitaris. Ac si nō licet (vt tu garris) aliter quàm vernacula lingua diuina tradere ac celebrare;

contrariū Apostolis, & eorum successoribus, & eos nolint imitari.

brare; nō ergò id licuit Apostolis, nec eorū discipulis aut successoribus, sed malè fecerūt. videte obsecro, in quātam isti blasphemiam incurrant, & quàm hic sit temerarius & impius error. sed ad alia pergamus.

Quòd etiam apud Græciam & Orientalem Ecclesiam non omnes diuersarum nationum intelligerent, quæ in diuinis officijs dicebantur.

CAPVT IX.

Repetendum hoc loco memoria est, quod superiùs fuit demonstratum; sacra Biblia ante Christi aduentū à Septuaginta solū fuisse cōuersa; deinde post Christū sex alias extitisse Græcas versiones, quas in vnū Origenes collectas Hexapla nominauit. Ex ijs iam ostēdamus, non omnes etiā apud Grecos, & apud Ecclesiā Oriētalem, qui illis in ipsorum Ecclesijs vtebantur, ea intellexisse, quę recitabantur & dicebantur. Ac primò de versione Septuaginta omniū celeberrima videamus. de hac D. Chrysostomus in Matthæi

D. Chrysost.

thæi homilia 5. Ad faciendam, inquit, veræ translationis fidem, omnibus alijs iure Septuaginta interpretes sunt digniores. At hanc summę inter Gręcas authoritatis interpretationē non omnes Asiæ & Oriētales populi, cùm diuersarū essent linguarū, vulgò intelligebant; vt Armenij, Assyrij, Galatę, Aegyptij, &c. imò etiā cùm ducentis, vel, vt alij volunt, trecentis quadraginta vno, plùs minùs, iam ferè annis ante promulgatum Euangelium, & quidem docta tunc Gręcorum lingua, scripserint; quo tamen tempore, trecentorum videlicet annorum spatio, varię solent in vulgaribus linguis, fieri mutationes: fit, vt etiam apud eosdem ipsosmet, qui Græcè loquerentur, iam esset mutata aliqua ex parte dialectos.

I. Non oēs Asiæ populi, & alij, qui vtebātur versione Septuaginta in ecclesiis, ea intelligebant, quæ ex illa recitabantur.

Spatio trecētorum annorū solet mutari linguæ dialectos, aliqua ex parte.

Itē tametsi, vt antea diximus, sex aliæ trāslationes ex Hebræo in Gręcū sermonē postea factę fuerint; tamen earū prima sub Adriano Imperatore facta est ab Aquila Pontico. Quare Apostolorū tempore saltem, non fuit nisi vna Septuaginta interpretum; quam

II. Græci diuersarū linguarū & dialectorum diuersarū, vnica Septuaginta versione Apostolorū tēpore cōtenti erant.

Ex pseudoeuangelistarũ sentẽtia oportebat sacra Biblia verti secundũ oĩm Græcas proprias dialectos, & oĩm gẽtiũ linguas.

quam omnes hæretici diuersarũ dialectorum, licèt eiusdem linguæ, intelligere non commodè possent, nedum alij Asiatici, aut Afri, diuersarũ linguarum longè à Græcia differentium. Et tamen ex istorum nouorum pseudoeuangelistarũ sentẽtia oportuisset secundum omnium proprias dialectos, omniumq; linguas Orientalium conuerti, vt omnes commodè intelligerent. At hoc neq; Apostoli, neq; Græci, nec alij Orientales populi fecerunt, sed vnica omnes versione communi Septuaginta contenti erant, vnde & ipsi Apostoli frequenter eam meritò citarunt.

III.

Etiã si postea sex aliæ factæ versiones Græcè, tamẽ multò plures, q̃ sex erant linguæ gentium, & à Græca diuersæ.

Sed tamen concedamus postea sex illas translationes prodijsse, & eas receptas, & ab aliquibus approbatas fuisse, scilicet Aqlæ Proselyti, & Symmachi Iudaizantis, & Theodotionis Ebionitæ, cum quinta postea in Hierico reperta, & sexta Nicopoli; & eas publicè in Ecclesia lectas esse. nam & septem harum tantùm translationũ,

D. Hieronym.

D. Hieronym. meminit tum alijs locis, tum in Catalogo scriptotum Ecclesi-

clesiasticorum; & Euthymius, qui post D. Hieronymum sexcentis annis ampliùs vixit, eas tantùm septẽ trãslationes veteris testamenti commemorat. At verò omnes istæ interpretationes plusquam septem non sunt: multo autem plures tunc erant linguæ gentium, & populorum Orientalium, vt constat, Armeniæ, Palęstinæ, Mesopotamiæ, Persiæ, Mediæ, Georgiæ, Scythię, Arabię, Aegypti, &c. ac omnes hę versiones, Gręco tantũ sermone conscriptę erant, vt qui alterius linguæ essent, intelligere non possent. Et demum Attico maxima ex parte sermone conscriptæ, vt qui Ionicus esset, Aeolicus, Doricus, & Laconicus, ob dialectos & phrasim eorum diuersam, commodè eas intelligere nõ quiuerit. Imò verò si in singulis his Græcorum dialectis ad rusticos accesseris eiusdem quoq; dialecti; vt Ionicos exẽpli gratia, vel Doricos rusticos, vt semper ferè contingit; plurimùm diuersos fuisse sermone credendum est. diuersos, inquam, ab eiusdem etiam idiomatis, Doricis

Euthymius.

IIII.

Oẽs hæ versiones Attico magna ex parte sermone cõscriptæ erãt vt nõ cõmodè ab alijs Græcis dialecto differẽtibus, intelligi possent Doricis, Ionicis &c.

V.

Rustici multò minùs, & præsertim diuersarum dialectorum, ea poterant intelligere.

nempe, vel Ionicis politioribus hominibus, & in aulis Principum, atque amplioribus ciuitatibus degentibus, vt fit. Quare cũ hi ab illis differrent, & illi rurſum ab Attico ſermone diſtarent, & Atticus rurſus ab antiquo ſermone, quo ſcripta illa fuerant, tertio gradu, nõ parum diſſideret; fit, vt iſtis tribus diſtãtię ac differẽtię gradibus, vix aliquid poſſent inferiores illi homines & ruſticiores (quorum tamen maxima pars eſt reipublicæ & Eccleſię) intelligere atque percipere.

VI. *Varia exemplaria Septuaginta. D. Hierony.* Pręterea D. Hieronymus in Prologo in Paralipomenon, de trãſlatione Septuaginta loquens, & de varietate exemplarium eius; Pro varietate, inquit, regionũ diuerſa feruntur exemplaria. Et paulò pòſt: Alexãdria & Aegyptus in Septuaginta ſuis Heſychiũ laudat authorem. Conſtantinopolis vſque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Medię inter has prouincias Palęſtinos codices legunt; quos ab Origene elaboratos *Origenes. Euſebius.* Euſebius & Pamphilus euulgarunt, totusque orbis hac inter ſe trifariam varie-

varietate compugnat. Loquitur autem D. Hieronymus de sola Septuaginta versione. At quis dubitet, D. Hieronymum, cùm ait legi Palæstinos codices, de illis intelligere lectionibus, quæ in Christianorum Ecclesijs, & sacris conuentibus fiunt. Nam si de priuata lectione cuiusque quæ fit domi intelligeretur, falsum id esse videretur, cùm in priuatis lucubrationibus non solùm vnam, sed omnes euoluere sit liberum, & ita omnes studiosi soleant: ergo accipiendum id est de lectione publica, in Ecclesia fieri solita. Iam hinc constat, in Alexandria & Aegypto, qui alia vulgari lingua loquebantur, vsos tamen tunc fuisse Græca editione. Et præterea à Constantinopoli vsque ad Antiochiam constat plures fuisse vulgares linguas intermedias, præter Græcam, vt Galatarum, Cappadocum, Ponti & cæterorum. Sed de Galatis quoque D. Hieronymus ait in expositione capitis tertij ad Galatas, propriam linguam habuisse suo tempore, penè

Versio septuaginta in ecclesiis legi solita.

In Alexandria et Aegypto, & apud Galatas, Antiochia, & in alijs diuersarum linguarũ prouincijs, Græca editione tẽpore D. Hieronymi vtebantur.

eandem, quæ apud Treuiros; quę tamen Treuerensis longè erat, & est à Græca diuersa. Cùm igitur in toto Oriente doctæ istæ interpretationes legerentur publicè in Ecclesia; nec eas indocti, aut idiotæ Græci diuersarum dialectorum, ac multò minùs Barbari reliqui Asiatici aut Afri diuersarum linguarum intellexerint; planè consequitur, in ipso Ecclesiæ nascentis exordio, Ecclesiastica officia in ijs linguis edita confiteri, quas vulgus hominum ignorabat, idq; nō solùm apud Occidentalem Ecclesiam, sed etiam apud Græcos, & Orientalem.

VII. *In nouo testamento multa sunt Hebraico permixta, quæ nec Græci, imò nec ipsi tunc Hebrai satis intelligebant.*

Apostoli etiam quàm plurima reliquerunt in ipso nouo testamento Hebraica vocabula permixta, quę Græci non intelligebant, & ea reliquerunt sine interpretatione, idq; vt credere fas est, ob mysteria quædam, quæ in illis continebantur occultiora; sed nec voluerunt ea vertere Gręcè cùm possent; imò quædam eorum sunt huiusmodi, vt non solùm tunc à Gręcis, qui Hebraicè ignorabant, sed vix

vix quidem aut tunc, aut modò eorũ energia satis intelligi valeat. Qualia sunt Halleluia, in Apocalypsis 19. Itẽ Osanna, Matthæi 21. Lucæ 19. & Marci 11. & Ioann. 12. Item Sabbaoth, ad Romanos 9. & Iacobi 5. Item Racha, Matth. 5. Amen, in singulis penè noui testamenti capitibus, & alia his similia. Quo argumento & testimonijs hoc saltem necessariò conuincitur, non esse necesse, vt omnia omnes intelligant; imò neque expedire quidem; quia si expediret, vtiq; fecissent; & præsertim quia id facilè pręstare poterant; sed & spiritus sanctus, quo afflati scribebant, ad id eos, si sic melius foret, impulisset.

Apocalyp. 19. Matth. 21. Luca 19. Marci 11. Ioann. 12. Rom. 9. Iacobi 5. Matth. 5.

Apostoli non ita fecissent, si contrariũ melius foret, nec spiritus sanctus, quo afflati scribebant.

VIII. Nouum item testamentum, sicut Apostoli scripserunt, Gręci retinuerunt, & retinent; sed neq; Apostoli pro ipsorum Græcorũ dialectorũ diuersitate Euãgelia conscripserũt per singulas eorum ꝓuincias, aut in omniũ aliarum linguarum sermone, vt diximus. Atqui si ratio Lutera-

Græci retinuerũt & retinent nouum testamentũ, sicut Apostoli scripserũt, nec mutarunt iuxta diuersas eorum dialectos.

norum ſpectetur, meliùs tunc intelligerent, & vtilius ſic foret.

IX. Miſſæ etiã ſacrificiũ, ſicut à D. Baſilio conſcriptũ eſt, ferè oẽs celebrãt, & hactenus celebrarunt, non verò ſecundum varias eorũ dialectos, aut linguarum aliarum varietatem, neque officia diuina ſimiliter. Sed eſto, tres liturgias, hoc eſt, Miſſæ celebrationẽ, Græcè conſcripſerint, (vt antea diximus) D. Baſilius, D. Chryſoſtomus, D. Epiphanius. At multò plures erãt linguæ, ſed & oẽs hi penè ſermone Attico: ita vt ab ijs, q alterius erant dialecti, non cõmodè intelligerẽtur, & ab alijs, qui diuerſarum erãt linguarum, ne intelligerẽtur quidẽ, niſi à doctis. Neq; tamẽ ob id putarũt, aliqd religionis, aut pietatis deperire, ſed conſeruari potiùs vnitate, & vnius linguę doctioris & latiùs patentis, & in qua tradita eis primò fuerant, communione, & conſeruatione. Iſtis verò religionis nouatoribus, hoc eorum conſilium fidele, ſapiens, piumque non placet.

Græci ferè omnes Miſſæ ſacrificium celebrant, & celebrarunt, ſicut à D. Baſilio ſcriptum eſt, nec mutarunt ſecundum varias linguarũ dialectos, & ſimiliter officia diuina.

Pietas & religio linguæ vnitate conſeruatur, tamẽ hoc ſalubre cõſiliũ nõ probatur nouatoribus religionis.

Ex

Ex vsu & praxi præsentis Ecclesiæ vniuersalis.

CAPVT X.

EX vniuersalis Ecclesiæ pręsentis vsu & praxi idem quoque conuincitur. Nam præsentem Ecclesiam condemnarent, & non solùm Latinam, sed Græcam, & Orientalem, atque vniuersam denique omnium prouinciarum, & nationum, quæ quidem hodie non vulgari & propria lingua, sed vel Latina, vel Græca, vel Hebraica celebrāt, & officia persoluunt diuina. Vnde hic solus præsentis Ecclesiæ vniuersalis, tot tamque multarum regionum præsentium vsus, esse satis Lutherano aut Caluinistæ deberet, vt eidem consentiret, & vnionem seruaret., non verò schismata, diuisiones, & scissiones Ecclesiæ, & religionis amaret, & disseminaret. I.

Vniuersalis præsentis ecclesiæ vsus, nō lingua vernacula, sed antiqua Latina, Græca, vel Hebraica celebrat, & diuina peragit.

Hodie etiam in Italia, non ampliùs vulgò Latinè loquūtur, imò à multis iā annis loqui desierūt, & tamē sacrum semper fit Latinè, tū Romæ, tū in vniuersa Italia: Quod solū satis esset, vt non pigeret imitari. Si quidem II.

in ea principium & ſedes, noſtræ eſt, & ſemper fuit, religionis: & ab illis ad totam Occidẽtalem Eccleſiam fides & religio à prima eius origine hactenus dimanauit. Veruntamẽ non ſolùm in Italia, ſed in tota hodie Eccleſia Occidentali, Hiſpania, Gallia, & cæteris Occidentis prouincijs (ijs exceptis, qui ſe proprio iudicio condemnantes ſepararunt) & apud Indos quoq; latè patentes, vaſtis & ampliſſimis regionibus tum Occidentales, tũ Orientales, qui ſubſunt vel Hiſpaniarum regi Philippo, vel Luſitaniꝫ regi, ac per Societatem IESV, aliosque Eccleſiæ ſanctos miniſtros, ſunt conuerſi, id vnanimi conſenſu ab omnibus obſeruatur.

III. Hodie quoq; Eccleſia Græca corruptè loquitur Græcè, vt conſtat nũc de eorum lingua vulgari, ita vt non intelligant Græcam veterem: & tamen tum ſacrificium Miſſæ, tum officia diuina antiquo illo Græco ſermonę celebrant, tum ſacra Biblia eodem conſcripta retinent. Et non ſolùm loquuntur quoquo modo corruptè, ſed

in

in pluribus hodie eorum regionibus, alia loquuntur longè diuerſa lingua vulgari, vt Turcica, vel Sclauonica, vel Syriaca, aut Arabica &c. Et tamen cũcta, vt diximus, officia diuina Græca veteri lingua peragunt.

Neque verò aliqui hodie ſunt, qui IIII.
Hebraicè vulgò loquantur, imò vix temporibus Apoſtolorũ, vt vidimus, reperire licebat, qui vero & puro ſermone Hebraico vterētur vulgariter; ſed certè id nunc experimento conſtat; cùm neque in Iudęa, neque in vicinis regionibus Hebraicè hodie loquantur, vbi lingua ea & maximè vigebat, & perfecta eſt reddita. At verò tum ibidem, tum in alijs nationibus, vt apud Aethiopiã, Meſopotamiam, & alias prouincias Hebraicè, Chaldaicéve antiquo ſermone, ſicut frequenter iam diximus, aliqui ſacra faciunt & officia diuina.

Imò verò apud Aegyptios, qui hodie faciunt Arabicè, & apud Ruſſios, V.
qui nec Latinè, nec Græcè, ſed alia diuerſa lingua faciũt, vix aut ne vix quidē, populus hodie quicquã intelligit.

VI. Quare manifestè totam Ecclesiam præsentē, & Orientalem, & Occidentalem, etiam eos, qui alijs linguis, à Latina, Græca & Hebraica diuersis faciunt, ij spurij & degeneres Ecclesiæ filij, (qui asserunt debere sacrum & officia diuina fieri passim vulgari sermone, quo omnes intelligant) impudentissimè reprehendent; & errasse, errareque, ac malefacere hac in re vniuersalem Ecclesiam perfricta fronte confitebuntur. Quod quidem, vel solum satis esse deberet ad eorum curiosam impietatem & sacrilegam curiositatem conuincendam: cùm Ecclesia hodie, per vniuersum mundum dispersa, tam latè ferè patens, atq; orbis ipse, per omnes mundi plagas, Orientem & Occidētem, Septentrionem & Meridiem, vbicunq; ferè Christiani sunt, contrarium obseruet. atque hæc ex pręsenti vsu & praxi Ecclesiæ.

Vniuersalem præsentē Ecclesiam hodierni heretici perfricta frōte reprehendunt, & contemnunt.

Ex testimonijs Sanctorum de Missæ partibus & officijs diuinis.

CAPVT

CAPVT XI.

SEd varijs quoq; Sanctorum testimonijs, qui partes Missæ citant, & diuinorum aliorum officiorũ, à temporibus Apostolorum idẽ ostenditur. Nam Doctores diuersarum prouinciarum, vt Galliæ, Hispaniæ, Africæ, Italiæ, Aegypti, & aliarum regionum, citant has Missæ & diuinorum officiorum partes, nõ tantùm easdẽ, sed (quod plus est) eisdem omnino verbis, sicut nos habemus. Quare signum est perspicuum, & eo modo, quo nunc fit, & communi illis omnibus lingua, scilicet Latina ijs, qui Latinè; aut Græca ijs, qui Grecè scripsere, hæc suo tempore fuisse celebrata. Nam si vulgari sermone apud singulos facta fuissent, non sic referrent, neq; citassent, eodem modo, & eisdem prorsus verbis, vt nos habemus, sed vnus vno modo, alius alio. Præsertim quia sic sæpe, cùm illa referunt, dicere consueuerunt, Sicut nos cantamus, Sicut recitamus quotidie, Sicut legitur in Ecclesia, & similia his. Quòd autem easdem partes Missæ, &

Diuersarũ regionũ & linguarum Doctores, citantes Missæ partes, easdem, et eisdẽ verbis, sicut nos habemus, Latinè, vel Græcè indicãt, communi omnibus, non verò propria singulorum lingua fuisse celebratum, &c.

& diuinorum officiorum, eisdemque verbis recitent, sicut nos habemus, hi varij diuersarum linguarum Doctores, iam ostēdamus, & ex multis, quod satis erit, aliquot proferamus.

I. *De Præfatione Missæ, & Pater noster.* Primò illa quæ in Præfatione Missæ nunc dicuntur, (Sursum corda. Respon. Habemus ad Dominum, Gratias agamus Domino Deo nostro. Respon. Dignum & iustum est) refert *D. Augustinus.* D. Augustinus Africanus Hipponensis Episcopus, de bono perseuerantiæ lib. 2. cap. 13. idem D. Augustinus de sancta viduitate, & sermone de tempore 44. & super illud Euāgelij, Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, &c. *D. Cyprianus* Item D. Cyprianus Episcopus etiam Africanus Carthaginensis in expositione orationis Dominicæ. At hi erant natione Afri, & Hippone pręterea ac Carthagine, vbi erāt Episcopi, Africè loquebātur, seu Punicè. Idē *D. Ambrosi.* habet D. Ambrosius Mediolanensis Episcopus in suo Missali. Item similiter Græci Græcè, eisdem penè verbis *D. Basilius.* totius præfationis meminerunt, vt D. *D. Chrysost.* Basilius, & D. Chrysostomus, in litur-

gijs,

s, & D. quoque Chryſoſtomus rur-
partis eius meminit, homilia de
cenijs. Præterea, Pater noſter in
iſſa recitari, ait D. Hieronymus lib. D. Hieron.
aduerſus Pelagianos.

Illa Canonis, Qui pridie quàm pa- II. De Canone Miſſæ.
retur, &c. vſque ad finem conſecra-
onis, cùm magna alia parte Cano-
is, D. Ambroſius ad verbum refert, D. Ambroſius
e Sacramentis lib. 4. cap. 5. & 6. & in
uo Miſſali. Canonis etiam fruſtula
citantur à diuerſis Doctoribus, vt à D.
Irenæo vicino Apoſtolorum tempo- D. Ireneus.
ribus & Galliarum Epiſcopo, à Cle- Clemens.
mente Alexandrino, à Tertulliano, Tertullianus
D. Cypriano Carthaginenſi Epiſco- D. Cyprian.
po, & ea quidem, vt hodie habemus;
ſed & Græcus D. Baſilij, & Chryſoſto- Baſilius. Chryſoſto.
mi canon non magnopere à noſtro,
aut inter ſe, differunt.

Hymnos quoque, quos cantamus, III. De hymnis, antiphonis, et pſalmis.
à D. Marco in conuentibus Alexan-
driæ fuiſſe compoſitos, ait Euſebius
lib. 7. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 18. At D. Euſe. Ceſ.
verò Alexandriæ populus Latinè non
loquebatur, neque Græcè. Quibus D.
Hilarius, qui fuit natione Gallus, & D. Hilarius

D. Am-

D. Ambrosius D. Ambrosius plures hymnos addiderunt, vt ait Isidorus lib. 1. officiorum cap. 6. Sed hymnos quoq; & psalmos *D. Augustin.* cantari in Ecclesia, refert D. Augustinus lib. 2. retractationum cap. 11. & lib. confessionum 10. cap. 33. & tractatu in Ioannem 12. & Concilium præterea Toletanũ 4. & habetur de consecratione dist. 1. can. de hymnis. vbi & hymnorum cantus ex sacris probantur literis, & prohibetur ne reijciantur ab Ecclesia constituti. Apud Græcos similiter, antiphonę & hymni à D. Ignatio (ex reuelatione, qua vidit cantantes Angelos) in Ecclesia Antiochena, cuius erat Episcopus, incęperunt: vt refert historia tripartita lib. 10 cap. 9. Pręterea, vt alternis psalmi cantarẽtur & antiphonæ, D. Basilius scribit Clericis in Neocæsarea constitutis Epistola 63. & eorundem hymnorum & psalmorũ meminit in psal. 114. In Africa quoq; constat cantatos fuisse psalmos Latinè in conuentibus Ecclesiæ, tempore D. Augustini, cùm tamen multi nescirent Latinè, & alia esset vulgaris propria Afrorum lingua,

D. Isidorus. *Concil. Tolet.* *D. Ignatius.* *Historia tripartita.* *D. Basilius.*

gua, vt constat ex libro expositionis inchoatæ in Epistolam ad Romanos. Sic etiam in Cõcilio Toletano quarto, canone 2. dicitur, Placuit, vt vnus ordo orandi & psallendi à nobis per omnem Hispaniam & Galliciam cõseruetur, &c. quod Concilium sub Honorio primo Papa fuit celebratũ circa annum Domini 620. & idem refertur in Concilio vndecimo Toletano can. 3. Idem etiam habetur in Concilio primo Bracharensi cap. 20. & sequentibus. At verò in vniuersa Hispania, non vna tantùm lingua vulgaris est, aut erat, sed plures, vt hodie cõstat; nedum in Africa, & alijs prouincijs. sed & Gallicia propria à cæteris differt dialecto, vt vix intelligatur.

Concilium Tolet. IIII.

Concilium Toleta. XI.

Concilium Bracharense.

Kyrie eleison, triplici ternario tum in honorem sanctæ Trinitatis; tum etiam respectu nostri, ob triplicem miseriam supplicantium, ignorantiæ videlicet, culpæ, & pœnæ, ait cantari in Ecclesia Innocentius tertius de officio Missæ, capite 19. ac etiam Diuus Thomas. Syluester verò fuit, qui in Ecclesia Latina circa annum trecen-

IIII.

De ter Kyrie eleison.

Innocen. III.

D. Thomas.

Syluest. Papa.

centesimũ vigesimum, Kyrie eleison idiomate Græco suscepit, vt refert Hugo de officijs Ecclesiasticis; sed quòd nouies diceretur, institutũ fuit à D. Gregorio in Concilio Romano, qui fuit circa annũ Domini 604. quod tamen in Missa Græcorum erat obseruatum, vt ex Liturgijs D. Basilij & Chrysostomi constat. vbi etiam aliud contra Lutheranos & alios hæreticos nostræ ætatis colligimus, non omnia populum intelligere debere, si quidem Græca apud Latinos in sacro recepta fuerunt ante mille annos.

Hugo. *D. Gregorius.* *D. Basilius.* *D. Chrysost.*

V. *De Introitu Missæ.* Item Introitus Missæ, qui hodie ferè semper ex Psalmis desumitur, iam olim apud D. Dionysium Areopagitam apparet; qui de Ecclesiastica Hierarch. cap. 3. ait, Initium celebrandæ synaxeos ex psalmodia desumi solitũ fuisse: quodque Pontifex ad sanctum altare, psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus Ecclesiastici ordinis gradibus. Item Hugo lib. 2. de officijs Ecclesiasticis cap. 11. ait, quòd in introitu Missæ integer olim psalmus cantaba-

D. Dionysius. *Hugo.*

rabatur; pòst verò, ob populi vitandum tædium, vnus tantùm versiculus.

VI. De Halleluia

Ampliùs, Halleluià cantari solitum in Ecclesia, ait Diuus Augustinus in psalm. 106. & tractatu 8. in Epistolam Ioannis, & D. Hieronymus ad Pammachium pro libris suis aduersus Iouinianum epistola 52. & in epistola ad Damasum, quæ extat tomo 4. quæ etiam vox est Hebraica, & ignota Latinis, tamen à primis illis Christianis retenta est ex veteri lege, & in Ecclesia recitata. D. Augustin. D. Hierony.

VII. De Gloria patri & filio & spiritui sancto.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto, in fine psalmorum, D. Hieronymus Epistola ad Damasum, vt diceretur, impetrauit. D. Hierony.

VIII. De ter Sanctus.

Sanctus, sanctus, sanctus, vt dicatur in omnibus Missis, siue matutinis, siue quadragesimalibus, siue defunctorum, & vt post (Gloria patri, & filio, & spiritui sancto) subiungatur (Sicut erat in principio, & nunc & semper, &c.) statuunt Episcopi in concilio Vasensi, (quòd oppidum est in Cōcil. Vasen.

 Gallia)

Gallia) tempore Leonis Papæ primi.

IX. De Pax vobis. D. Cyrillus. D. Chrysost. Pax vobis. Respon. Et cum spiritu tuo. Cyrillus in Euangelium Ioannis libro 12. capite 54. & Diuus Chrysostomus in cap. Matthæi 9. homilia 33. & idem homilia 18. in 2. Corinth. cap. 8. & in Epistolam ad Colossenses homilia 3.

X. De Symbolo Apostolorum. D. Dion. Are. Marcus Papa Damas. Papa. Symbolum Apostolorum canebatur in initio in Ecclesia, vt constat ex Diuo Dionysio capite tertio Ecclesiasticę Hierarch. sed postea à Marco Papa, seu Damaso, Symbolum Nicenum cantari præceptum est, ad extirpandum Arrianorum errorem.

XI. De Gloria in excelsis, &c. Angelicum illum hymnum, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, ab Angelis in Natiuitate Domini decantatum, Thelesphorus Papa. Thelesphorus Papa, qui sedit sub annum 140. in Missis, quas eadem nocte Natiuitatis celebrari instituit, (vt inter eius decreta refertur) cantari iussit. D. Hilarius Postea Diuus Hilarius Pictauiensis Episcopus, natione Gallus, adiecit illa, Laudamus te, benedicimus te, glorificamus te, &c.

con-

contra Arrij pestilentem sectam, vt ait idem Hugo libro citato de officijs Ecclesiasticis, & Innocentius de officio seu mysterio Missæ. Deinde Symmachus Papa in omnibus diebus Dominicis & festis Martyrum præcipuis iussit, vt itidem Gloria in excelsis caneretur. *Hugo.* *Innocen. III.* *Symmachus Papa.*

Præterea Epistolæ lectio fiebat in Ecclesia, vt ait Diuus Dionysius eodem capite 3. Ecclesiast. Hierarchiæ. Deinceps, inquit, per ministros hagiographorum lectio consequenter fit. Philo etiam Iudæus ait, legi Prophetas ab illis primitiuis Christianis in eorum conuentibus consueuisse. Et Iustinus Martyr in Apologia 2. ait, Apostolorum commentarios iam olim in primitiua Ecclesia legi solitos. & quidem credendum est, ea lingua legi, qua erant conscripti. Sed D. quoque Paulus ad Colossenses 4. Cùm, inquit, lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite, vt & in Laodicensium Ecclesia legatur: & ea, quæ Laodicensium est, vt vobis legatur. Scribitur etiam Actuum 13. Antiochiæ Pisi- XIII. *De Epistola lectione.* *D. Dionysius Areopag.* *Philo.* *Iustin. Mart.* *D. Paulus ad Colossenses.* *Actuum. 13.*

diæ lectam fuisse legem, & Prophetas omni Sabbato legi solitos, per omnes synagogas, sicut ait etiam Diuus Iacobus, Actuum cap. 15. Quo autē idiomate legebāt, nisi quo erant scripta? At Iudæi, vt suprà constitit, per varias regiones, & prouincias erant tunc temporis dispersi, diuersarum linguarum; sufficiebat autem, vt à Leuitis, post lectionem legis & Prophetarum, plebs audiret rerum lectarum interpretationem. Et ideo ait D. Iacobus ibidem, ab antiquis temporibus, prædicatum fuisse Moysem in singulis ciuitatibus. Et extat prætereà canon Apostolorum de consecrat. dist. 1. can. omnes fideles. vbi præcipitur omnibus fidelibus, vt conuenientes sacris solennitatibus ad Ecclesiam, Ecclesiasticas scripturas Apostolorum, & Euangelium audiant. Et deinde etiam Anacletus sub annum Domini 100. Epistolas & Euangelia legi præcepit in Ecclesia, vt ait Hugo lib. citato de officijs Ecclesiasticis.

Actuum 15.

Canon Apostolorum de consecratione dist. 1.

Anacletus.

Hugo.

XIII. *Doctores recentiores.*

Quòd si ad recentiores Doctores Ecclesiæ accedamus posterioris ætatis;

tis; certum est, pleraque de ijsdem rebus eos citare ad verbum, sicut nunc habet Ecclesia Catholica, vt venerabilem Bedam, D. Bernardum, Hugonem, Thomam Vuoldensem, & alios, quod cuiuis eorum libros legēti peruium esse poterit. Atque inter alia venerabilis Beda, linguam Latinam tunc temporis in Anglia communem fuisse pluribus eius prouinciæ populis diuersarum linguarum, asserit. nam in Procemio historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, Britanniç insulę situm describens, Hæc, inquit, in præsenti iuxta numerum librorum, quibus diuina lex scripta est, quinque gentium linguis vnam eandemque summæ veritatis, & veræ sublimitatis scientiam scrutatur & confitetur, Anglorum videlicet, Britonum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum, quæ meditatione scripturarum omnibus est facta communis. Hæc ille. Vnde cùm solæ quatuor essent linguæ vulgares in Britannia, tamen Beda Latinam addit, & quinque numerat, & quintam hanc dicit esse communem

Venerabilis Beda.

In Anglia quinque erāt linguæ, sed vna communis facta meditatione scripturarum, scilicet Latina.

omnibus, idque meditatione ſcripturarum, & huius rei exemplum ponit quoque in libro quinto, capite vigeſimo ſecundo. Conſtat itaque ex allatis omnibus ſanctorum Patrum teſtimonijs, de Miſſæ, & officij diuini partibus, in Occidentali quidem Eccleſia, ſicut modò fit, Latina lingua, & ſimili ratione ac forma vtraque celebrata eſſe; in Orientali verò pleriſque regionibus diuerſarum linguarum etiã Græce: at nec in hac, nec in illa, linguis vulgaribus. Ex his ergo tum Miſſæ, & ſacrorum officiorum antiquitas, tum eorum celebrandi modus, qualis nunc eſt in Dei Eccleſia, planè conuincitur. Et quanquam multò plura, de his Miſſæ & officiorum diuinorum partibus afferri poſſent, tamen ad præſentem diſputationem iſta ſunt ſatis.

Obiectio. Fortaſſe hæreticus obijciet, Latinos Doctores ſcripſiſſe Latinè, & ideo citaſſe Miſſæ partes, & officia diuina quoque Latinè, & ijs verbis quibus Romæ fiebat, vel in Italia, vbi Latinè loquebantur: non verò, quia apud

apud ſingulas eorum nationes Latinè fierent: Et idem fortè de Græcis ſcriptoribus dicet Græcè. Hæc obiectio facilè diſſoluitur, & in eoſdem fidei aduerſarios perſpicuè retunditur. *Confutatio.* Primò, ſiue hac, ſiue alia lingua ſacrificium Miſſæ celebratum eſſet, tamen apud omnes illos celebratam fuiſſe Miſſam, conuinceretur. Et id iam olim à temporibus Apoſtolorum factum eſſe conſtabit. Et præterea, eiſdem orationibus,& eo modo, quo Eccleſia Catholica Romana nūc conſueuit, perſpicuum erit celebratam fuiſſe. 1.

Deinde, niſi in ſuis regionibus celebraſſent quoque Latinè, vix eorum eſſet vllus, qui ſciret, quibus verbis Romæ dicerentur, nec qui illorum memoriam haberet ad ſcribendum, niſi fortaſſe aliquis, qui Romæ diu & diligenter fuiſſet verſatus, & hæc curioſiùs animaduertiſſet,& diligentiùs annotaſſet. 2.

Confirmatius id fit. Nam hodie quotus quiſque eſt, qui ſciat, quid 3.

fiat, quæve ceremoniæ ſeruentur; aut quid dicatur, vel à quibus, in ſacro ſolenni, in Sacello ſummi Pontificis? vix vllus Epiſcopus, aut Doctor regionum diſtantium id nouit, niſi fortè qui Romæ fuerit, & curioſiùs explorauerit. neque verò is etiam ipſorum, quæ dicuntur, ad verbum poſtea recordabitur, ſi cupiat: ſed ſi quis vellet deſcribere ſolenne ſacrum, profectò referret vnuſquiſque ſui Epiſcopatus ſacrum, quod noſſet, & apud ſuos in vſu eſſet.

4. Præterea illa verba, quæ addere conſueuere, indicant, ſe ſacrum & diuina officia feciſſe, & dixiſſe, ſicut ſcripſerunt. aiunt enim (vt ſuprà monuimus) plerunque in prædictis teſtimonijs: Sicut quotidie dicimus, Sicut quotidie cantamus in Eccleſia, & ſimilia. Ergo, cùm eiſdem verbis referant, & eaſdem Miſſæ partes, ac diuinorum officiorum, ſicut nunc habemus, perſpicuè conuincitur, eos lingua tūc cōmuni Latina Miſſam & diuina officia, non autem vulgaribus linguis celebraſſe: alioqui non ſic nobiſcum,

biſcum, vel inter ſe, præſertim in ipſis verbis, conuenirent. Et de Grȩcis ſcriptoribus ac Doctoribus, eadem & cõſimilis ratio eſt, quos ſuprà commemorauimus, inter ſe quoq; circa partes Miſſæ & diuinorum officiorũ conuenientes, nec ſolùm inter ſe, ſed magna ex parte, etiam nobiſcum, vt facilè poſſis colligere inſtitutum eſſe Apoſtolicũ. quod haud dubiè ideo accidiſſe videtur, quia eadem lingua illi omnes ſacra facerent, & officia diuina celebrarent.

De quibus actum ſit, & de quibus agendum.

Sed de his hactenus. Vidimus igitur traditionem eſſe Apoſtolicam, nõ fieri ſacra, aut officia diuina vulgari lingua, idq; ex ſacris literis, ex Apoſtolorum prædicatione & factis, & eorum ſucceſſorum: ex Occidentalis & Orientalis Eccleſiȩ tam Latinȩ quàm Græcæ & antiquæ & præſentis vſu perpetuo & praxi: ex ſacrorũ deniq; Doctorum teſtimonijs abundè comprobatum. Nunc iam eorundem Doctorum ſacrorum teſtimonijs oſtendamus, non eſſe neceſſe, vt omnes intelligant; ſed eſſe magnã vtilitatem,

etiam si nō intelligant; aduersus impium Caluini & eius sequacium infelicium dogma; idem postea ex sacris literis & rationibus perspicuis ostensuri.

Testimonia Doctorum sacrorum, quòd non sit necessarium, vt omnes intelligant, quæ in Ecclesia recitantur, imò etiam sit vtilitas magna, si non intelligant.

CAPVT XII.

1. IAm verò non omnia in intelligendo consistunt; non enim rarò accidit, vt qui minùs intelligunt ea, quæ dicuntur à sacerdote, maiorem tamen in eis videre liceat pietatis affectum. Præclarè D. Augustinus contra Epistolam, quæ vocatur fundamēti Manicheorum cap. 4. de turba scribit, quòd eam non intelligēdi viuacitas, verùm credendi simplicitas tutissimā facit. Qui etiam epistola 102. ad Euodium, ait, Si propter solos eos Christus mortuus est, qui certa intelligentia possunt, quæ ad fidē pertinēt, discernere, penè frustra in Ecclesia laboramus: non quantum

D. Augustin.

Turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.

Si solùm propter eos, qui intelligentia valent, Christus mortuus est, frustra penè in Ecclesia laboramus.

tum intelligas, ſed quantũ credas,& quantum credendo ames, q̃rit Deus; fit nõ rarò, vt qui intelligunt, contemnant; qui non intelligũt,afficiãtur. Vnde Deus cor potiùs & animum orantis, q̃ verba, aut eius intelligentiam intuetur, & illa longè plùs placent,q̃ vlla verborum omnium intelligentia, aut cognitio. Itaq; ſi quis eo animo, vel ad dicenda,vel ad audiẽda ſacra,cantus, & officia Eccleſiaſtica, ſeu diuina,accedat, vt Deum laudare, gloriam & honorem ei p̄ſtare,de diuinis beneficijs ſuſceptis gratias illi agere, & quæ vel ad pręſentem,vel ad futuram vitã, ſibi alijsque conducunt, ab eo humiliter petere, & cupiat impetrare; tam eſt Deo grata hæc mentis deuotio, & animorum affectio, nulla vt verborũ intelligentia cum ea valeat comparari.

Non quantum intelligas, ſed quantum credas, & quantum credendo ames, quærit Deus.

Deus cor potiùs orantis quàm verba aut intelligentiam intuetur.

Deuotio plùs Deo placet, quàm vlla verborum intelligentia.

Etiam qui non intelligunt, ſi accedũt, vt Deum laudẽt, honorent, petant, &c. plurimùm merẽtur.

D. Hilarius lib. 8. de Trinit. Habet,inquit,nõ tã veniã,q̃ prę- 11.

D.Hilarius.

præmiũ,ignorare, quod credas: quia maximum fidei ſtipendium eſt,ſperare, quæ neſcias.

III. *Clemens Alexand.* Clemens Alexandrinus lib. 3. pædagogi cap. 11. Fides, inquit, non ſapientium ſecundum mũdum, ſed eorum qui ſecũdum Deum ſunt ſapientes, eſt poſſeſſio. illa autem etiã abſq; literis diſcitur; eius autem ſcriptum, quod & ad rudes & ignaros homines pertinet,& eſt diuinum,vocatur charitas,quæ eſt decretum ſpirituale. hęc Clemens.

Diuinũ ſcriptum rudium & ignorantium eſt, & vocatur charitas.

Fides abſque literis diſci poteſt. Vides igitur, fidem abſque literis diſci poſſe,& eius diuinum ſcriptũ eſſe, & vocari charitatem? vnde facilè tu quoq; poſſis díſcere, nõ in eo, quãtum quis intelligat, ſed in eo, quantũ quis credat, & credendo amet, permultùm ſolidæ & veræ vtilitatis eſſe poſitum. quando quidem certum eſt (licet pleraque non intelligant) tamẽ in fide maiorum ſuorum, & Eccleſiæ ſaluos fieri minores: nulla itaque eſt huius rei neceſſitas, vt ſacra & officia diuina lingua vulgari celebrentur, ſed contra potiùs non parua etiam

am vtilitas non intelligentibus.

Præterea D.Auguſtinus lib.3. contra Donatiſtas cap.15.Sub eiſdem verbis,inquit,(id eſt,in nomine patris,& filij,& ſpiritus ſancti)non ſolùm Marcion,aut Valentinus, aut Arrius, aut Eunomius, ſed & ip ſi carnales paruuli Eccleſiæ, quibus dicebat Apoſtolus 1.ad Corinth.3. Non potui loqui vobis, quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus ; ſi poſſent ſinguli diligenter interrogari, tot diuerſitates opinionum fortaſſis, quot homines numerarētur,Animalis enim homo non percipit ea, q̄ ſunt ſpiritus Dei:Accipit tamen vnuſquiſq; ſecundum fidē ſuam, ſed quātum capit, gubernante illa miſericordia Dei, de qua præſumens idem Apoſtolus dicit, Si quid aliter ſapitis, id quoq; Deus vobis reuelabit. Hæc Auguſtinus. Idē D.Auguſtinus lib. 6.de Baptiſmo cōtra Donatiſtas cap. 25. preces vitioſas, imò, quod maius eſt, etiam hæreticas preces,ait, dicentis affectu, qui eas putat bonas ac fideles, nonnunquam ſuperari. Plerunque, inquit, precis vitiū ſu-

IIII. D.Auguſt.

1.ad Cor. 3.

Vnuſquiſque accipit ſecundum fidē ſuā quantū capit, gubernāte ſic Dei miſericordia.

Dicentis affectu bono, non ſolùm ignotæ preces, ſed etiam hæreticæ, & vitioſæ ignoratæ ex D. Auguſtini ſententia fiūt

ſuperat dicentis affectus; & quia certa illa Euangelica verba, ſine quibus non poteſt Baptiſmus conſecrari, tantum valent, vt per illa ſic euacuentur, quæcunque in prece vitioſa, contra regulam fidei dicuntur; quemadmodum dæmonium nomine CHRISTI excluditur &c. Rurſus inferiùs ſic inquit: Multi irruunt in preces, non ſolùm ab imperitis loquacibus, ſed etiam ab hæreticis compoſitas, & per ignorantię ſimplicitatem, non eas valentes diſcernere, vtuntur eis, arbitrantes quòd bonæ ſunt, nec tamen quod in eis peruerſum eſt, euacuat illa, quæ ibi recta ſunt; ſed ab eis potiùs euacuatur. ſicut in ipſo homine bonæ ſpei & probabilis fidei, ſed tamen homine, ſi quid aliter ſapit, non inde euacuantur, quæ rectè ſapit, donec ei Dominus reuelet, quod aliter ſapiat. Hæc Auguſtinus. Iam verò ſi hæreticas preces recitans per ignorantię ſimplicitatem, eas bonas arbitrans, apud Deum nihilominus ex affectus, quo dicuntur, pietate valent, nec vtilitate

D. Auguſtin.

Si hæreticæ preces per ignorantiæ ſimplicitatẽ ſunt vtiles, quanto magis, quæ certò ſciuntur eſſe bonæ.

litate euacuantur: quanto magis is, qui certò ſcit bonas eſſe preces, quas ignota lingua recitat, vel recitantes audit, fructu ſuo non fraudabitur?

V. *Origenes.*

Origenes Homilia 20. in Ioſue, refert eleganter, & pluribus proſequitur vtilitatẽ, quam quis capit dicendo, vel audiẽdo preces, ac diuinas laudes, quas tamen non intelligit. vbi ait placere Deo, & Angelos delectare & allicere, qui ea intelligunt; licèt ipſe, qui dicat, ignoret; & deterreri dęmones, ac fugari. Vbi etiam refert ex gentilium opinione incantatoris ſimilitudinem, qui arcanis verbis quibuſdam, quæ nec ipſe intelligit, qui profert, neque ſerpens ipſe, qui audit, tamen incantatur. Sed illum iam dicentem audiamus. Sic igitur ait: Si enim creditum eſt à gentibus, quòd quædam carmina, quæ præcantationes appellant, quibus iſtud artis eſt, inſuſurrantes nominibus quibuſdam compellatis, quæ ne illi quidem, qui inuocant, norũt, ex ſolo vocis ſono vel ſopiantur ſerpentes, vel etiam de

Sicut præcãtationũ carmina etiam nõ intel'ecta gẽtiles credũt habere virtu

tem in ſerpẽtes &c. ita & multò magis ſcripturæ ſanctæ verba recitata & non intellecta.

de cauernis protrahantúr abſtruſi; ſæpe etiã in corporibus humanis tumores, aut alia huiuſmodi voce ſola reprimere dicuntur; interdum etiam animæ ſtuporem quendam ſenſus infligere, vbi tamen Chriſti non reſiſteret fides: quãtò magis totius pręcantationis & carminis validiorẽ, & potiorem dicendam credimus quamcunque illam ſcripturę ſanctæ vel ſermonum vel nominum appellationẽ? Sicut enim apud infideles contrariæ virtutes audientes illa vel illa nomina in carminibus vel pręcantationibus adſunt, & exhibent famulatum, & dant operam in hoc, ad quod vocari ſe ex illo, vel illo nomine ſenſerint, officij ſui rem quodam modo, ac miniſterij, cui ſemetipſos mancipauerint, dependentes; eo magis vtique

Cæleſtes virtutes & Angeli libenter & gratè accipiunt verba ſcripturæ recitata, etiam à non intelligentibus.

cæleſtes virtutes, & Angeli Dei, qui nobiſcum ſunt, (ſicut & Dominus de paruulis Eccleſiæ dicit: quia Angeli eorum ſemper aſſiſtunt in conſpectu Domini, videntes faciem eius) libenter & gratè accipiunt, ſi ſemper verba ſcripturæ, & horum nominum appella-

pellationes, velut carmina quædam, & præcantationes ex noſtro ore promamus. Quia & ſi nos non intelligimus, quę de ore proferimus, illę tamē virtutes, quę nobis adſunt, intelligūt, & velut carmine quodā inuitatæ, adeſſe nobis, & ferre auxilium delectantur. Quòd autem ſint non ſolùm circa nos multæ diuinę virtutes, ſed etiam intra nos, indicat Propheta, cùm dicit, in Pſal. 102. Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen ſanctum eius. hoc eſt, omnia, quæ intra me ſunt. Cōſtat ergo, multas eſſe virtutes intra nos, quibus vel animarum noſtrarum cura, vel corporū permiſſa eſt, quę vtique, ſi ſanctæ ſcripturæ leguntur à nobis, delectantur, & validiores erga noſtri diligentiam fiunt, ſi linguis loquamur, & ſpiritus noſter oret, ſenſus autem noſter ſine fructu ſit. Dixit enim & hoc ſanctus Apoſtolus, & mirum quodāmodo myſterium humanis auribus protulit, dicēs, Aliquando fieri poſſe, vt ſpiritus, qui in nobis eſt, oret, & ſenſus noſter ſine fructu ſit. Intelli-

Quanuis nos nō intelligamus, tamen Angeli intelligunt, & quaſi deliniti carmine quodam nobis opitulantur.

Pſal. 102.

Delectantur Angeli tali lectione, etiā non intellecta à nobis.

ge ergo ex hoc, quia fit aliquando,

Pascuntur & reficiuntur diuini spiritus ex auditu scripturæ sacræ recitatæ solo ore etiam nõ intellectæ.

noster quidem sensus sine fructu, spiritus autem, id est, virtutes illæ, quæ animæ nostræ in adiutorium datæ sunt, pascuntur, & reficiuntur ex auditu scripturæ sanctæ, velut ex diuinis & rationalibus cibis. Quid dico, quia diuinæ virtutes pascantur & epulentur in nobis, si nos verba diuinæ scripturæ proferamus ex ore? Ipse

Ipsemet Christus ad eos, qui sic vacãt, vnà cum patre veniet.

Dominus noster IESVS CHRISTVS, si nos inueniat ijs vacantes, non solùm pasci & refici dignatur in nobis, verùm etiam si has epulas apud nos viderit apparatas, patrem secum dignatur adducere; Ego & pater, inquit, veniemus, & cœnabimus apud eum. Sed sicut ex huiusmodi meditationibus, diuinarum erga nos virtutum officia, & consortia prouocamus: ita etiam è contrario, malignarum virtutum insidias & pessimorum dæmonum incursiones ex huiusmodi sermonum appellationibus effugamus. verbi gratia, vt si quis nostrum aliquando perspexit, præcantationibus sopitum serpentem por-

Malignarum virtutũ, insidiæ & dæmonum incursiones ijs sermonibus, etiã nõ intellectis, effugantur, & earum vires depelliuntur.

portari in manibus, vel protrahi de cauernis, nihil valentem nocere venenis, vtpotè incantationis virtute torpentem: ita etiam lectionis diuinæ virtute, si quis intra nos est contrariç potestatis serpens, si quis ad insidiandum coluber latet, si patienter feras, si non tçdio fatigatus auertas auditum, scripturç canonibus, & diuini sermonis assiduitate depellitur. Si ergo vides, ô auditor, aliquando legi scripturam in auribus tuis, quam non intelligis, & sensus eius tibi videtur obscurus, interim hanc primam scias suscepisse vtilitatem, quòd solo auditu, velut prçcantatione quadam, noxiarum virtutum, quç te obsident, & quç tibi insidiantur, virus depellitur & fugatur. Obserua tantùm, ne efficiaris sicut aspides surdç, & obturantes aures suas, ne audiant voces incantationis, & veneficij, quo incantantur à sapiente. Hçc autem idcirco diximus, ne fastidium capiamus, audientes scripturas, etiam si non intelligimus; sed fiat nobis secundum fidem credentibus:

Psal. 57. Non debent affici tædio, audientes sacras scripturas & nō intelligentes, quia vnicuique id erit vtile secundū eius fidē &c.

quia omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt. Si ergo diuinitus inſpirata eſt, & vtilis; etiam ſi non ſentiamus, credere tamē debemus, quia vtilis eſt. Solēt medici interdum præbere cibum aliquem, interdum etiā potum aliquē dare, verbi gratia, ad diſcutiendam caliginem viſus; nec tamen in edendo ipſo cibo, vel in potando ſentimus, quia vtile eſt, & prodeſt oculis; ſed cùm tranſierit viſum cibi illius & poculi virtus, paulatim purgat aſpectum, & tum demum ſentire incipimus, quia cibus ille & potus profuit oculis. Hoc ergo modo credendum eſt etiam de ſcriptura ſancta, quia vtilis eſt, & animæ prodeſt, etiam ſi ſenſus noſter ad pręſens intelligentiam non capit: quoniam & bonæ virtutes, quæ nobis adſunt, reficiuntur, & contrariæ torpeſcunt his meditationibus, & effugantur. Hactenus Origenes, vbi vides, quemadmodum pulchrè oſtēdit ſimilitudinibus, verba ſcripturarum non intellecta plurimùm vel dicentibus vel audientibus prodeſſe: idq; ex eo ipſo D. Pauli

li capite citato teſtimonio, quod aduerſarij pro ſua conantur ſententia detorquere. Sed hactenus ex ſacris Patribus: nunc iam ex ſacris literis & rationibus idem oſtendamus.

Teſtimonijs ſcripturæ & rationibus idem oſtenditur, videlicet non eſſe neceſſarium, vt omnes, quæ in Eccleſia recitantur, vel quæ in publica & priuata oratione dicuntur, intelligant; ſed plurimùm etiam valere, ſi non intelligant.

CAPVT. XIII.

PRimùm, Matthęi 21. Chriſtus Saluator noſter id comprobauit quod dicimus, prodeſſe ſcilicet orationem & DEO placere etiam non intellectam. Nam pueri in templo laudantes Chriſtum Saluatorem noſtrum clamabant, dicentes, Hoſanna filio Dauid; cùm tamen non intelligerent, quid dicerẽt. id autem placuit Chriſto Saluatori noſtro, & eos defendit, & voluit ſic agere. ſic enim ait Euangelium: Videntes autẽ principes ſacerdotũ & ſcribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamãtes in templo & dicentes, Hoſanna filio Dauid, indignati ſunt, & dixerunt

1. *Matt. 21.*

Pueri clamãtes in templo, Hoſanna filio Dauid, non intelligentes quid dicerẽt, placebant Chriſto & Deo.

ei, Audis quid iſti dicunt? Ieſus aũt dixit eis, Vtique. nũquàm legiſtis: Quia ex ore infantium & lactẽtium perfeciſti laudem &c. Qui ſanè ſolus ſcripturæ locus nos poteſt docere, non quod ab iſtorũ ſupercilio proficiſcitur, qui ſibi nihil non arrogãt, ſed infantium & lactẽtium, nec dum intelligentium laudem placere Deo. Imò ſic fuit grata Chriſto Saluatori noſtro hæc puerorũ acclamatio, vt dixerit, ſe nõ ſolũ ſuam laudẽ feciſſe, ſed perfeciſſe ex ore infantiũ & lactentiũ; & lapides clamaturos, ſi pueri rudesq́; illi populi tacerẽt. Sed etiam de turba quoq; qui clamabant, Hoſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in altiſſimis; veriſimile eſt, non omnes intellexiſſe. Ac neceſſariò quidem confitendum eſt, lactentes & vix dum loqui potentes pueros non intellexiſſe, quid nomine filij Dei altiſſimi & maximi ſignificaretur. Sed neque omnem illorum acclamantium turbam intellexiſſe, quale eſſet Chriſti regnũ, credendum eſt, quod etiã Apoſtoli Chriſto

Puerorum nõ intelligentiũ acclamatio Chriſti teſtimonio, nõ ſolũ eius laudem fecit, ſed perfecit.

Turba acclamantium oĩs, nõ intelligebat, quale eſſet Chriſti regnũ, quod

ſto familiares filij Zebedęi carnale fu-turum arbitrabātur. Ergo ex his ha-bemus, preces & laudes, q̄ fiunt ab ijs etiā, qui nō intelligūt, placere Chri-ſto & Deo; neq; vllo pacto eſſe con-demnandas aut reprehendendas; imò verò & ab ſpiritu ſancto eſſe ꝓfectas, à quo illa turba & pueri interno nu-minis afflatu impellebantur.

efferebāt: placebat tamen Chriſto & Deo ea acclamatio, & ab ſpiritu ſancto fiebat.

11. Rurſus, ſi ſemper neceſſariò reqre-retur eius linguę cognitio, qua fit ora tio, ſanè multo magis rerū ipſarū, q̄ verbis ipſis ſignificātur, intelligentia. Verba etenim ac linguæ rei ſignificā-dæ duntaxat inſeruiūt. At verò nō ra-rò cōtingit, vt pij in oratione ſic erga Deū afficiātur, vt non ſolùm verbo-rum, ſed rerū, quas ibi à Deo petunt, rapti obliuiſcantur; & longè alia eo ipſo tempore cùm recitāt, mente abſ-tracti cogitent, ac meditentur. qui tamen nulla ratione vituperādi ſunt; imò verò ob amoris affectū erga De-um flagrantem, quó rapiuntur, pluri-bus erunt laudibus cumulandi. Quā ob rem continua & particularis ani-mi attentio ad ſingula verba non eſt

Si lingua cognitio neceſſariò requireretur, multò magis rerum ipſarum præſens intelligētia, quæ tamen non neceſſariò requiritur.

 omni-

omnino neceſſaria: & quod plus eſt, nec ad ea etiam, quæ peculiariter verbis orationis ſignificantur: ſed ſatis eſt, in Deum mens eleuetur, ſiue id fiat verborum ipſorum particulari cognitione, ſiue quadam alia intelligentia. & maximè in libera oratione, ad quam quis ex præcepto non tenetur; ſed in hac quoque quæ præcepti eſt, ſatis eſſet hæc generalis attẽtio mentis eleuatę in Deum.

III. *Multa norũt fideles omnes etiam ruſtici, vnde poßint fructum capere ex oratione publica Eccleſiæ, & ſimul orare ac petere, etc.*

Præterea eum poſſe publicæ orationis eſſe participem, qui linguam Latinam prorſus ignorat, aduerſus ea, q̃ nugantur aduerſarij, ex his liquet. Nouit ſiquidem fidelium quiſq; ſatis multa, vnde poſſit ex Eccleſię oratione fructum capere. Nouit, inquam, orationibus ab Eccleſia & Chriſti miniſtris à Deo peti pro populo veniam peccatorum, dona virtutum, pacem, ſanitatem mentis & corporis, reliqua animi, corporis, & externa bona, maximè verò gratiam & vitam ęternã: idque per Chriſtum redemptorẽ noſtrum, qui ad dexteram patris ſedet ꝑ nobis interpellans, & ſuę ſponſæ Eccleſiæ

clesiæ orationes exaudiens. atque vt maximè sit rusticus, scit saltem in genere bona huius vitæ, & futuræ, orationibus ab Ecclesia peti, vt ipse pariter orare possit, ac eadẽ petere, quanuis, quod plus est, si hoc quoq; nesciret, oratio Ecclesię illi ignorãti nihilominus prodesset, vt & dormienti.

IIII. *Vt oratio prosit, sufficit generalem rei petitæ, et eius à quo petitur, & per quem petitur, habere cognitionẽ.*

Idem ex hoc manifestius fit. Nam vt vtilis sit oratio vel publica vel priuata, sufficit generalẽ rei petitæ, & eius à quo petitur, & per quem petitur, habere cognitionem. At in genere hæc omnes norunt. Nam & desiderant, & petere atque habere volunt omnes beatitudinem æternam, & ea quæ ad ipsam media perducunt. Et fideles quidem petunt hęc à Deo, & per Christum eius filium, ac per Sanctorum & Beatæ Virginis Mariæ intercessionẽ. Et hoc omnes norunt Catholici. Quare hac vniuersali cognitione, tum ꝓpriæ & priuatæ orationis fructus, tùm publicæ orationis maximè participes esse poterunt.

V. Imò & ij, qui noto sibi & familiari sermone orant, sępe Dominicam ora-

Orationē Dominicam, etiā ij, qui noto sermone orant, sæpe confusè et generatim intelligunt.

tionem, non nisi admodum confusè & generatim intelligunt: vt ex ea cognitione, quam à cōcionatoribus acceperunt, ampliùs orent, quàm ex ea, quæ ex verborum recitatione ab illis concipitur.

VI.

Ceremonijs et sacrificijs in veteri lege, quæ distinctè non intelligebant, Deum fructuosè & vtiliter colebant, & orabant.

Simile quidem est, quod in antiqua lege cernimus. sicut enim olim in veteri lege, ceremonijs & sacrificijs Deum fructuosè & vtiliter orabant omnes, qui scientes quidē signa esse, quid tamen eis significaretur, particulatim atq; distinctè non nouérant. Vnde D. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 9. Qui non, ait, intelligit signū, & tamen signū esse intelligit, nō premitur seruitute. Non itaque perfecta verborum intelligentia necessaria est, sed generalis sufficit ad impetrandum aliquid à diuina misericordia.

VII.

Non solùm oratio non intellecta prodest populo, sed etiā, quod plus est, nō audita

Leuit. 16.

Non solùm autē oratio Ecclesiæ à populo non intellecta illi prodest, sed etiā (quod plus est) neq; audita. Leuitici etenim 16. dū Pontifex pro se, & pro populo rogaturus, pro domo sua, & pro vniuerso cœtu Israel, sanctuariū ingrederetur, iubebat Dominus, ne

quis

quis tūc in tabernaculo maneret. Vnde quanuis populus neq; audiret, sed neq; etiā videret, quid illic intus Pōtifex ageret in Sanctis sanctorū; in vniuersum tamen sciebat illum pro se orare, seseq; illius orationis ac sacrificij esse participem.

In die quoq; expiationis Pōtifex sacrificabat in Sancta sanctorū ꝓ peccatis, vniuersa verò multitudo populi erat foris orans hora incensi, vt refert D. Lucas cap. 1. de Zacharia, cū ingressus in templū Domini, poneret incensum. Itaq; interiùs solus Pontifex orabat & sacrificabat pro populo, ipso neque vidente, neq; audiente, & tamen illi proderat. VIII. *Luc. 1.*

Ampliùs, primo Paralipomenon cap. 16. & 23. pręcepit Dauid Leuitis & cātoribus ad hoc munus deputatis, vt quotidie & singulis quoq; diebus festis, iuxta ritū cuiusq; diei, canerent & laudarent Deum, varijs etiam instrumentis musicis. Leuitę, inquit 23. cap. stent manè ad confitendum & canendum Domino, similiterque ad vesperam; tam in oblatione holocaustorū IX. *Paralipomenon 16. et 23.*

Domini,

Domini, quàm in Sabbatis & Kalendis & ſolennitatibus reliquis, iuxta numerum & ceremonias vniuſcuiuſque rei iugiter coram Domino. At verò quis neget, populum harum fuiſſe laudum & orationum participem, quæ pro ipſo haud dubiè fiebant, vt eorũ Deus miſereretur? Tamen non eſt conſentaneum, populum omnia audiſſe, aut audita minutim omnia hęc intellexiſſe, ac particulatim ſciuiſſe, aut ſingularũ precum, hymnorum, & orationum rationẽ penitiùs aſſequutũ fuiſſe. Maximè verò cùm cantarent pſalmos, iuxta inſtitutionem Dauid, credendum haud dubiè eſt ea lingua ceciniſſe, qua à Dauide fuerant compoſiti: cùm tamen longo pòſt tempore certum ſit bona ex parte idioma fuiſſe mutatum, vt ſuprà oſtendimus. atq; ita populus aut non audiebat, aut non intelligebat, aut non perfectè idioma pſalmorum, etiam ſi vellet, aſſequi poterat; & ſi quæ illorum quantum ad verba intelligebat; at ſenſum pſalmi, & myſteria ibi ſignificata minimè aſſequebatur: cũ hodie

Pſalmos, hymnos, preces, et alia officia diuina veteris legis non omnia ille populus audiebat, vel intelligebat, tamẽ omnium particeps erat.

hodie etiam Latinè, & Græcè pleriq; periti non intelligant.

In Ecclesia quoque à temporibus Apostolorum, vt liquet ex Diuo Dionysio Areopagita de Ecclesiastica Hierarchia, & historia illa celebri de Diuo Ambrosio & Theodosio Imperatore; Clerus à laico populo, in publicis Ecclesiæ conuentibus, etiam loco (quem ab ijs, qui in eo canunt, vocamus Chorum) distingui cœpit. Et in Concilio Laodiceno celebrato circa annū Domini plùs minùs 380. capite 15. statuitur, vt nemo psallat præter canonicos psaltas, id est, qui regulariter canentes existunt. At verò impossibile penè erat, vt omnia, quæ canenda erant, populus nosset, & intelligeret. Nec fieri poterat, vt etiam illa, quæ in choro à psallentibus, quanuis vernacula lingua canerentur, totus populus, in amplis præsertim vrbibus, vbi numerosus est, audiret, & audita perciperet, seu intelligeret. Vnde perspicuè colligimus, veterem Ecclesiam hoc egisse, vt Clerus quidem ea, quæ legebat & precabatur, intelligeret:

x. Clerici à laicis, & chorus à cæteris, loco etiā ab initio Ecclesiæ distinctus.

D. Dionysius Areop.

D. Ambrosius

Concil. Laod.

Nō debet populus canere tumultuariè in Ecclesia, vt consueuerunt nostræ ætatis hæretici.

Nō potest, nec tenetur populus, omnia, quæ chorus canit, vel recitat, audire, vel percipere, vel intelligere.

ret: cæterùm populus, vt ea nec caneret, nec diceret, aut ſcire cogeretur. Et ſicubi in initio totus aliquando populus tumultuariè in aliqua regione fortaſſe cecinit, cùm res nondum perfectè eſſent apud omnes conſtitutę & ordinatę, quòd pauci tunc fortè inter illos eſſent Chriſtiani, vel laborarent inopia miniſtrorum: At poſtea creſcente numero Chriſtianorum in ordinē certū & debitum ab illis primis Apoſtolis, & Apoſtolorum diſcipulis, & eorū ſucceſſoribus, fuerūt redactæ: vt ea ſic ordinata Clerus ſeruaret, ſciret, ac diceret; tota verò vulgi intelligentia per conciones formaretur.

Officia diuina, ab Apoſtolis & eorum ſucceßoribus ordinata Clerus ſcit et dicit: populi intelligētia per cōciones formatur.

XI. Duo etenim ſunt ipſorū paſtorum officia, ſecūdum illud Actuum 6. Nos orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus; vt videlicet pro ſe, & pro populo orent; atq; vt eundē populū doceant & exhortentur. Certū eſt autem, quòd oratio, quāuis pro populo fiat, ſed non populo, verùm Deo offertur. vnde etiam Diuus Paulus ad Hebręos cap. 5. Omnis, ait, nanque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus

Publica eccleſiæ oratio fit pro populo, ſed nō populo, verū Deo, & ideo nō eſt neceſſe, eam populus intelligat.

Hebr. 5.

nibus constituitur, in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, &c. Ministerium ergo verbi per conciones & exhortationes, & admonitiones, tum publicas, tum priuatas adimpletur: quibus quidem docetur populus, & ad ea, quæ iã edoctus est, impellitur & excitatur. Non itaq; interest populi, qua Sacerdos lingua sacrificium peragat, aut pro se Clerus oret, quando quidem iam abundè satis instructio populi per verbi ministerium impletur: & oratio nihilominùs Ecclesiæ, ac Dei ministrorũ, ab ipso Deo exaudietur, quanuis lingua fiat à populo ignorata. Et vtcunque sit, nihil eorum, quę per Ecclesiæ orationem impetrantur, quacunque lingua fiat, deperit populo: neque minùs à Deo impetrat, siue hac, siue illa lingua fiat Ecclesiæ oratio.

Conciones & exhortationes, quæ fiunt ad populum, eas oportet, populus intelligat.

XII.

Quod etiam similibus ijs declarari poterit, & commonstrari. Sicut enim, qui aliquid à Principibus petũt, nihil ad eos attinet qua lingua me-dia-

Nil interest populi, aut alterius, qua lingua Eccle-

sia, eiusq; ministri, Deum pro ipsis orēt, dum tamē impetrent sibi postulata.

diatores ab eis constituti apud ipsum Principem negotium tractent, dum tamen impetrent, quod volunt: sic etiam nihil interest populi, quo apud Deum sermone sacerdos vtatur, dum illis exoret postulata. Nec etiam refert, qua lingua patronus apud Iudicem causam cliētis agat, dum tamen cliens litem obtineat. Aut qua lingua quis pro reo veniam impetret, nō refert maximopere Rei, dum ille è carcere emittatur, & absoluatur. Vt etiam nō refert, aureis pecunijs, Gallicis, vel Hispanicis, aut alterius cuiusuis signi & figuræ, alterius ab altero debitum soluatur; si tamē totum perinde soluit debitum, & ære alieno similiter illum liberat. Sed infirmus quoq; pharmaci à medico ministrati, quo sanatur, patienter & æquo animo patitur ignorantiam, & virium herbarum ibi contentarum. Sicut etiam qui à Christo Saluatore nostro sanitatem postulabant, non tam verborum intelligentiam, quibus sanitas donabatur, quàm sanitatem ipsam quærebant. vnde etiam pro ijs, qui nec

nec audire poterant Chriſti verba, abſentibus ſanitatem quoque petebant.

Demum, vt hunc iam locum abſoluamus, quis ignorat, aut quis diffiteri poterit (niſi planè ſit impius) quin oratio Eccleſiæ Chriſti ſponſæ dilectiſſimæ, pro ſuis filijs fuſa, Chriſti pretioſiſſimo ſanguine redemptis, ab ipſomet ſponſo & Redemptore Ieſu Chriſto exaudiatur? ſiue filij eius eam audiant, ſiue non audiant: ſiue præſentes ſint, ſiue abſentes: ſiue eam intelligant, ſiue non intelligant. Audit ergo Chriſtus & exaudit, ſuę ſponſæ Eccleſiæ dilectiſſimæ orationem, quacunq; lingua fiat. Ac ſi cuiuis homini iuſſit Chriſtus per D. Iacobum cap. 5. orare pro inuicem, vt omnes ſaluentur: ac Matth. 26. orare ne intremus in tentationem: & D. Paulus ad Roma. 15. & 2. ad Corinth. 1. pro ſe petit aliorũ orationes fieri: & 1. ad Timoth. 2. vt fiant pro ijs, qui in ſublimitate conſtituti ſunt: & D. Ioannes 1. Epiſtola cap. 5. hortatur vt petat quis pro alterius peccato, non ad mortem,

XIII. *Chriſtus ſpõſa ſuæ dilectæ Eccleſiæ orationes exaudit, ſiue filij eius audiãt eã orationẽ, ſiue nõ audiant, ſiue præſentes ſint ſiue abſentes: ſiue intelligant, ſiue non intelligant.*

Priuata oratio pro altero facta, licèt eo ignorante pro ſe fieri, ex dicto Chriſti, D. Iacobi, D. Pauli, D. Ioannis, plurimùm ei prodeſt: quãto magis totius Eccleſ. oratio.

Iacobi. 5.
Matth. 26.
Ad Rom. 15.
2. ad Corin. 1.
1. ad Tim. 2.
1. Ioan. 5.

& dabitur ei: quanto magis totius Ecclesiæ oratio exaudietur? Si, inquam, priuata oratio pro altero facta, licèt eo ignorante pro se fieri, multùm prodest, ex dicto Saluatoris, & D. Pauli, & D. Ioannis, ac D. Iacobi: quanto magis publica Ecclesiæ oratio pro suis & Christi communibus filijs facta? Valeat igitur impium Caluini dogma, publicæ orationis neminem esse posse participem, nisi intelligat idioma, quo fit oratio.

Quòd quanuis priuata singulorum oratio rectè vulgari sermone fiat, publica tamen Ecclesiæ oratio passim non ita.

CAPVT XIIII.

SAtis hactenus constitit scripturis & Sanctorum testimonijs aduersus Caluinum & sequaces, orationem tam publicam, quàm priuatam prodesse, etiã non intellectam. Iam verò licèt concedatur, priuatam cuiusque orationem vulgari lingua rectè fieri posse, & esse vtilem, ijs pręsertim, qui Latinè ignorant:

rant: tamen de publica Ecclesiæ oratione alia est ratio, & quidem longè diuersa. Quod vtrunque breuiter aduersus eosdem ostendemus, non solùm ex Ecclesiæ more, sed testimonijs, & rationibus.

1\. *Quæ scire ad salutē necessaria populus tenetur, rectè vernacula lingua ei proponuntur ediscenda, vt Ecclesia consueuit.*

Orationes etenim quædam ab Ecclesia populo sunt propositæ, vt eas ipsemet populus recitet, & eas discat, sciat, & intelligat, & intellecta memoretur, & dicat. Sunt præterea quædam alia paucula ab eis ediscenda omnibus necessaria ad salutem. hæc ergò rectè non tantùm Latinè, sed vulgari poterunt lingua proponi; aut etiam si Latina lingua, tamen meritò mox subiecta vulgaris sermonis interpretatione: vt Symbolum Apostolorum, vt oratio Dominica, ac decem mandata, quæ quidem omnes scire tenentur, sicut Ecclesia omnibus proponere consueuit.

Fideles scire tenētur, Symbolū, orationē Dominicā, et decē mādata.

Nam si corde creditur ad iustitiam, & oris confessio fit ad salutem, ad Romanos 10. & sine fide impossibile est placere Deo, ad Hebræos 11. *Rom. 10. Hebræ. 11.*

 vtique

vtique oportet ſcire credenda, quæ in Symbolo ipſo continentur. Et ſi decem mandata ſeruare quiſque debet, ſi vult ad vitam ingredi, vt ait Saluator Matth. 19. vtique & ſcire oportet, quæ ſint; & cùm ſciuerit, intelligere, & intellecta ſeruare. Et ſi ad hæc implenda, & vitam ęternam conſequendam, neceſſe eſt à Deo gratiam, & reliqua neceſſaria poſtulare; & ſi oportet ſemper orare, vt ait Saluator, Lucæ 18. ſciendum etiam quid petere oporteat, & quo modo, quáve oratione. quod quidem in Dominica oratione Saluatoris, qua nos & Apoſtolos ſuos orare docuit, continetur. Sic enim nos docuit Matthæi 6. Cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ. Et paulò pòſt: Sic ergo vos orabitis, Pater noſter, &c. & idem conſtituit Lucę 11. cùm Apoſtoli peterent, vt doceret ſe orare. Quare meritò hæc oratio ab omnibus Chriſtianis, & dicenda eſt, & diſcenda. atque ideo in ſexta Synodo Conſtantinopolitana can. 7. dicitur, niſi quis has duas ſententias (ſcilicet Symbolum Apoſtolicū, & orationem

Matthæi 19. *Lucæ 18.* *Matth. 6.* *Luc. 11.* *Sexta Synodus Conſtantinopolitana.*

tionem Dominicam) & memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione sæpissimè frequentauerit, Catholicus esse non poterit. Et Remensis Synodus, celebrata anno Domini octingentesimo decimo tertio, ait inter cætera primo capite, institutum esse de fidei ratione, vt vnusquisque iuxta intellectum suæ capacitatis, Domino largiente, disceret & intelligeret, atque operibus plenè obseruaret: & secundo capite, vt orationem, quam Dominus noster Iesus Christus discipulos suos orare docuit, disceret, ac sensum benè intelligeret: quia illam ignorare nulli Christiano licet. Et in Concilio Tridentino Sessione 5. in decreto reformationis capite secundo, iubet Episcopos & Parochos plebes sibi commissas inter alia docere ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem.

Remensis Synodus.

Concilium Tridentinum.

II. Item salutatio Angelica Beatæ virginis Mariæ, quam nos Angelus & Beata Elizabeth docuerunt; & præterea Ecclesiæ ad Virginem amoris ple-

Aliæ etiā orationes populo vtiles et proponi poterunt idiomate pro.

prio, ab Ecclesia approbata: quae ei sunt satis. plena oratio, Salue Regina, cum alijs quibusdam, quæ in precibus ab Ecclesia approbatis habentur; etiam rectè non solùm Latina, sed vulgari lingua traduntur pro his qui Latinè nesciunt; vt Ecclesia hodie apud plures nationes facere consueuit, vt sic instruatur, & excitetur magis imperitus. *D. Augustin.* Vnde D. Augustinus ad Probam de hac priuata cuiusque apud se oratione, ait: Qui igitur verbis orare cupit, verba quæ intelligit conuenienter adhibet, vt seipsum ad orationem internam excitet.

III. Quae ad Catechismum et doctrinã christianam spectant, rectè etiã vulgari lingua ab Ecclesia approbata proponũtur, vt Ecclesiæ mos est. Præterea peccata mortalia, & opera misericordiæ, & similia quædam ad Catechismum fidei nostræ, & doctrinam Christianam spectantia, sicut etiam hodie mos est in Ecclesia, & Latina lingua, & vulgari rectè proponuntur, vt ea, quæ ipse populus scire & memorari & ore confiteri tenetur, percipiat & intelligat, præsertim si Latinè nescit. Vnde etiam *Concilium Tridentinum.* Concilium Tridentinum Sessione 24. in decreto reformationis capite quarto, iubet vt fidei rudimenta pueri Domini-

minicis saltem ac festis diebus in singulis Parœcijs doceantur, & obedientiam erga Deum & parentes, &c.

IIII. *Melius esset illa etiā necessaria ad salutē & reliqua fidei rudimenta, ab ijs, qui Latinè sciūt, Latinè quoq; disci, ob vnionem &c.*

At verò hæc omnia prædicta, tum quæ ad doctrinám Christianam, tum ad reliqua, ab ijs qui Latinè sciunt, Latinè potiùs essent discenda & recitanda, idque ob vnionem (vt pòst fusiùs ostendemus) arctiorem Ecclesiæ & solidiorem compaginem inter omnia eius membra, non solùm in fide, sed in omni cultu, & in omnibus orationibus retinendam. Adde, quòd publicæ Ecclesiæ orationis, quæ ab ipsa Ecclesia Christique ministris fit, longè alia est ratio. Non enim hæc in ea est necessitas, quæ in suprà dictis priuatis orationibus, aut rebus alijs necessarijs ad salutem; si quidem non ea est instituta, vt à populo recitetur, vel ediscatur, vel sciatur, sed à ministris.

Publica Ecclesiæ orationis, alia est ratio, quæ non est instituta, vt recitetur, sciatur, vel discatur à populo.

V. *Obiectio. De interrogationibus & responsionibus in Sacramentis.*

At in Sacramentorum administratione (obijciat aliquis) nonnūquam plebei homines, Latini sermonis ignari, ex parte saltem aliqua respondent, & pariter cum Sacerdote celebrant

Sacramētorum ſolennitatē; vt verbi gratia, Suſceptores infantium in Baptiſmo profitentur ſe abrenunciare Sathanæ, & pompis eius, & omnibus operibus eius; & profitentur ſe credere in Deum patrem omnipotentem &c. ac ſe petere Baptiſmum; & alia: quæ reſpōſiones, & profeſſiones, D. Auguſtino etiam teſte, Epiſtola 23. ad Bonifacium, ad celebrationē pertinent Sacramenti. Quare videbitur alicui inconueniens, vt is qui aliqua ex parte Sacramentum celebrat, ipſam linguam, qua id agit, non intelligat.

D. Auguſtin. Interrogationes et profeſſiones fidei, &c. ad celebrationē pertinent Sacramenti.

1. *Solutio.* Reſpondetur primò, ſatis eſſe ſi per miniſtrū manuducatur ſuſceptor. nā etiam ſi vulgari ea eſſent ſermone cōſcripta, indigeret nihilominus aliquo qui eum in ijs reſponſionibus inſtrueret & manuduceret. Secundò dicimus, ideo in Concilio Tridentino ſtatutum eſſe, quo cum maiori reuerentia hæc populus agat & ſuſcipiat, vt explicetur priùs ab Epiſcopo, vel à Parocho vis & vſus Sacramenti, pro illorum captu, quod eſt populo longè

2. Concilium Tridentinum.

vti-

vtilius, q̃ ſi illa paucula verba proprio idiomate recitaret: atq; vt hæc explicatio rectè fiat, iubet eam formã administrandi à Concilio in Catecheſi præſcribendam, &, ſi opus ſit, vulgari quoq; ſermone fideliter tranſlatam ab Epiſcopo, ipſi Parocho dari, vt Parochus certò & tutò poſſit populo exponere, quid ibi fiat, ac dicatur. Nõ quidem præcipit, vt Sacramenta, vel hæc, quę ad Sacramentorum ſolennitatem attinent, vulgari lingua celebrentur aut dicantur, quod quis falsò ex verbis Concilij malè intellectis putare poſſet, abſit planè: ſed vt ante eorum celebrationem vulgari priùs lingua exponatur à Parocho vis ac vſus Sacramẽti pro captu ipſorũ ibi aſtantium, & præterea vt fiant conciones diebus feſtis, &c.

Sic enim ait Seſſ. 24. decreto ſecũdo de reformatione capite ſeptimo: Vt fidelis populus ad ſuſcipienda Sacramenta maiori cum reuerẽtia atq; animi deuotione accedat; p̃cipit ſancta Synodus epiſcopis omnibus, vt nõ ſolũ, cũ hęc per ſeipſos erunt populo *Concil. Tridentinum.*

administranda, priùs illorum vim & vsum, ꝓ suscipientiũ captu explicent, sed etiam à singulis Parochis piè prudẽterq́; etiã lingua vernacula (si opus sit, & cõmodè fieri poterit) seruari studeant, iuxta formã à sancta Synodo in Catechesi singulis Sacramentis præscribendã, quã Episcopi in vulgarem linguã fideliter verti, atq; à Parochis omnib⁹ populo exponi curabũt. Nec non, vt inter Missarũ solennia, aut diuinorum celebrationẽ, sacra eloquia, & salutis monita, eadẽ vernacula lingua, singulis diebus festis vel solennibus explanent: eamq́; in omniũ cordibus postpositis inutilibus quæstiõbus inserere, atq; eos in lege Domini erudire studeant. hactenus Conciliũ.

Expositio tãtùm vsus & virtutis Sacramentorum vnà cũ cõcionibus, satis est populo ex cõcilij Trident. sententia. At rebelliũ istorum hominũ iudicio non est satis.

Hæc ergo expositio vsus & virtutis Sacramentorũ per Episcopũ vel Parochum, iuxta formã ab Episcopo ei traditam, populo facta, vnà cum concionibus dierũ festorũ, inter Missarum solennia, aut diuinorum celebrationem ex Concilij iudicio & sententia, satis esse populo iudicata est. & sanè longè est vtilior q̃ illa paucorũ versio.

Atq;

Atq; hæc de priuata oratione; & ijs quæ populus ipse dicere ac discere debet, sint dicta: verũ enimuerò longè alia ratio esto (quod & antè attigimus) publicæ q̃ priuatæ orationis. Non enim ea est necessitas, quæ in priuata: neq; verò hæc publica proponuntur, vt à populo recitentur, vel ab eo discantur necessariò. VI. *De publicæ orationis discrimine à priuata.*

Et p̃terea, vt sit vtile in priuata oratione vocali ipsimet q orat, lingua vulgari preces dicere: tamen in publica Ecclesię oratione nõ expedit, vt populus oĩa intelligat, quę Sacerdos vel Ecclesia petit. idq; ob plures causas. Primò, quia varia ab Ecclesia & Dei ministris petũtur, q̃ nõ expedit totum populũ scire, nec publicè passim euulgari; vt verbi gratia, vnum ex multis proferamus, cùm orat cõtra eos, qui Ecclesiam opprimũt, vel infideles, vel tyrannos; & cùm pro peccatis nonnunq̃ quorundam occultis, ac rebus & necessitatibus secretioribus orat. Neq; etiam sępe personas, pro quibus oratur, publicè nominare expediret. VII. *Non expedit, vt populus oĩa intelligat, quæ Sacerdos in ecclesia petit, & orat.* *Multa ab Ecclesia, vel Sacerdote petũtur, quæ non possũt publicè euulgari.* *Sæpe personas, pro quibus oratur, publicè nominare nõ expedit.*

Præterea orandi sæpe modus Ec- VIII.

Orandi Ecclesia modus, quosdam infirmiores vel carnales posset nonnunquam offendere.

clesię, aliquos ex populo ob ignorantiam vel malitiam eorũ, posset offendere: amoris enim verba & ecstasis spiritualis, quibus interim Ecclesia vtitur, esse possent rudiori populo offendiculum; cùm animalis homo nõ percipiat ea, quæ Dei sunt, vt ait D. Paulus 1. Corint. 2. Qualia sunt Cantica canticorum, ex quibus aliqua nõ raro mutuatur Ecclesia in suis precibus & diuinis officijs, quales sunt hymni & orationes Ecclesię, his non dissimiles; cùm hos amoris sponsę dicẽdi modos & has phrases, & laudes non omnes percipiant. vt exempli gratia ex pluribus hoc etiã loco vnum proponamus. Illud Cãtic. 1. & 2. Osculetur me osculo oris sui, & lęua eius sub capite meo, dextera illius amplexabitur me. &, Dilectus meus mihi, & ego illi, inter vbera mea cõmorabitur. & similia plura, q̃ carnales homines aliorsum ac deberent flagitiosè acciperent. Et illud quoq; ex eodẽ amore ꝑfectum, sed alterius generis, cùm cruci Ecclesia dicit, O Crux aue, spes vnica hoc passionis tẽpore auge pijs iusti-

1. Cor. 2.

Cant. 1. & 2.

iustitiam, reisq; dona veniam. clamaret hîc carnalis sciolus, aut ignorans idiota, aut Lutheranus & Caluinista hæreticus, hoc esse proprium Christi & Dei, non crucis. Varia deniq; sæpe Christi mysteria in orationibus Ecclesiæ reconduntur, quę fas non est passim euulgare.

IX. *Si officia diuina, vt ostēsum est, non debēt lingua vulgari peragi, vtique nec publica Ecclesiæ oratio, quæ illorum est pars. 1. Timot. 2.*

Ac demum, cùm satis superiùs sit ostensum, officia diuina non debere fieri lingua vulgari; & istorum officiorũ maior pars ferè nihil aliud sit, quàm oratio; (scilicet Dei laudes, postulationes, obsecrationes, gratiarũ actiones, quas D. Paulus petit in Ecclesia fieri Episto. 1. ad Timot. cap. 2. vnde & preces Ecclesiæ seu preces diuinę, meritò vulgato nomine dicuntur) fit, vt publica oratio Ecclesiæ vulgari non debeat lingua peragi, si quidē nil est aliud quàm illorũ ipsorũ diuinorum officiorum pars. At verò de Missæ sacrosanctæ sacrificio, & cæterorũ Sacramentorũ, officiorumq; aliorum diuinorũ celebratione, multò id minùs dicēdum, quod sanè manifestissimis testimonijs scripturę & San-

Sanctorum, & ex traditione Apostolica, & vniuersali Ecclesiæ vsu, & modis alijs superiùs cumulatissimè ostẽsum est. Sed quòd non expediat, neq; deceat ita fieri, iam fusiùs rationibus ostendemus, si tamen priùs tanq̃ dictorum coronidem addamus decreta hac de re prudentissima ac sapientissima summorum Pontificum Gregorij VII. & Innocentij III. Pij IIII. & postremò Concilij Tridentini.

Decreta Summorum Pontificum Gregorij VII. & Innocẽtij III. Pij IIII. & Cõcilij Tridẽtini.

CAPVT XV.

I. *Gregor. VII.* IGitur, petierat hoc olim Dux Bohemiæ totius suæ gentis nomine à Gregorio VII. Põtifice Romano, ante annos quingẽtos & ampliùs: quod nostra ętate Lutherus introduxit. Sed videamus, quid Põtifex responderit, lib. 7. registri sui, in Epistola ad Ducem Bohemorum. Quia verò, inquit, nobilitas tua postulauit, vt secundum Sclauonicam linguam, apud vos diuinum celebrari annueremus officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse fauere. ex hoc

Diuinũ officium non celebrandũ lingua vulgari.

hoc nempe sæpe voluentibus liquet, non immeritò sacrã scripturã omnipotenti Deo placuisse, quibusdam locis esse occultam: ne si ad liquidum cunctis pateret, fortè vilesceret, & pateret despectui: aut prauè intellecta à mediocribus, in errorem induceret, & quæ sequuntur.

Deus voluit, vt sacra scriptura quibusdam locis esset occulta, ne vilesceret, haberetur despectui, &c.

At hęretici non solùm summo Ecclesię Pontifice, sed Deo sapientiores & liberaliores esse volunt, cunctisque decernunt passim sacras patere literas, & sacra diuina officia: vt & vilescant, & despectui pateant, & prauè ab imperitis vel hæreticis intellecta in errorem inducant. II.

Hæretici volunt esse Deo sapientiores & liberaliores.

Præterea incommoda hinc euenire grauissima retulit Innocentius III. vir doctissimus, & Pontifex sanctissimus, ante annos trecẽtos & ampliùs ad Abbatẽ Cisterciensem, & collegas eius: acriter eos reprehendẽs, qui canonicos sanctarũ scripturarũ libros Gallicè translatos passim laicis & mulieribus permittebant & legebant. Cùm olim, ait, venerabilis frater noster Metensis Episcopus p̄ suas nobis li-

Innocẽt. III.

Sacræ literæ vulgari sermone nõ sunt passim sine delectu laicis & mulieribus permittenda.

literas intimaſſet, quòd tam in diœceſi, quàm in vrbe Metenſi, laicorum & mulierum nō modica multitudo Gallicæ cuidam tranſlationi diuinorum librorū intendens, ſecretis conuenticulis etiā inter ſe inuicē eructare pſumerent, aliorum aſpernantes conſortium, & in faciem redarguentibus Preſbyteris reſiſtentes, quorū ſimplicitatem faſtidiunt in ſuæ tranſlationis peritia confidentes: non ꝓtinus ad vindictā nos res accendit incognita, ſed vniuerſis tā in vrbe, quàm in Metenſi diœceſi conſtitutis, ſub eo tenore literas curauimus Apoſtolicas deſtinare: qui vobis ex trāſcripti earū poterit inſpectione patere. Et paulò pòſt præſcribens, vt inquiratur circa fidem Catholicā ipſorū, ſubiungit deinde: Nuper autem idem Epiſcopus per ſuas nobis literas intimauit, ꝙ quidam eorū, quos notabiles prioribus literis denotarat, mandatis recuſant Apoſto-

Ex ſacræ ſcripturæ quadam trāſlatione, ſine diſcrimine laicis & mulieribus permiſſa, orta ſunt ſecreta conuenticula, contemptus aliorum, etiam ſacerdotum, ſeparatio à ceteris, confidentia nimia, &c.

Eo ipſo tales ſuſpecti in fide meritò habentur.

Inde etiā orta ſedis Apoſtolicæ inobedientia.

ſtolicis obedire: quibuſdam eorum clanculò, quibuſdam verò iam publicè obediendum eſſe dicentibus ſoli Deo: ab occultis etiam conuenticulis nõ ceſſantes, officium prædicationis occultè, licèt à nullo mittantur, prohibiti etiam ſibi non metuunt vſurpare: aſpernantes ſibi diſſimiles, & tranſlationi eidem vſque adeò inſiſtentes, vt ſe nec Epiſcopo, nec Metropolitano ſuo, nec nobis ipſis aſſerant parituros, ſi eam decreuerimus abolendam. Licèt autem tales in eo reprehendi meritò videantur, ꝙ occulta conuenticula celebrant, officium prædicationis vſurpant, ſimplicitatẽ deſpiciunt Sacerdotũ, eorum conſortia, qui dictam tranſlationẽ non recipiunt, aſpernantur: Ne quid tamen ſubitò facere videamur, diſcretioni veſtræ (de qua planè confidimus) per Apoſtolica ſcripta mandamus, atq; præcipimus, quatenus ad ciuitatem

Hoc dogmate ſolius obedientiæ Dei ab illis mutuato, noſtri heretici tantum in impietate conſimilibus gradibus profecerunt, occultis conuenticulis, officio prædicationis vſurpato, denegata Epiſcopis & Pontifici debita ſubiectione, &c.

Videntur hoc loco initia noſtrorũ hæreticorum deſcribi, & ad viuũ depingi.

Metenſem pariter accedentes, cum eodem Epiſcopo conuocetis coram vobis talia ſapientes, & adhærentes tranſlationi prædictæ, &, ſi fieri poterit, quæ in eis reprehenſibilia fuerint, authoritate freti Apoſtolica, ſublato appellationis obſtaculo corrigatis. Quòd ſi correctionem veſtrã recipere fortè noluerint, inquiratis &c. Et paulò pòſt: Cùm enim in hoc vniuerſalis Eccleſię vertatur negociũ, & agatur cauſa fidei Chriſtianę, ad exequẽdum Apoſtolicę Sedis mãdatum, cum ſumma diligẽtia, & cautela, vos ſtudioſos & promptos eſſe volumus & mandamus. hactenus Innocentius.

In hac re vniuerſalis Eccleſia negocium vertitur, & fidei Chriſtianæ agitur cauſa.

Hę ergo ſunt vtilitates, quas lingua vulgaris omnibus nota in libris ſacris & diuinis officijs, afferre poteſt in Eccleſia Dei: Sacerdotum videlicet ſimplicium deſpectus, inobedientia, confidentia, clancularia cõuenticula, ſeditiones, ſchiſmata, & reliqua alia, q̃ hic Pontifex & ſanctus, & eruditiſſimus, ex ea cauſa tunc temporis eueniſſe commemorat, quas quidẽ apud noſtros hęreticos cumulatiſſimè hodie

die reperimus. Sed de his poſtea dicendi locus propriuserit.

Index librorum prohibitorum per Patres à Synodo Tridentina delectos.

Accedit ad hoc, locupletiſſimum teſtimonium, atq; decretum ex Indice librorum prohibitorum per Patres à Tridentina Synodo delectos conſcripto, & authoritate ſanctiſſimi D. noſtri Pij Quarti, Pontificis maximi, cõprobato, Regula 4. ſic dicens: Cùm experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plùs inde ab hominũ temeritate detrimẽti quàm vtilitatis oriri, hac in parte iudicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris ſtetur: vt cum conſilio Parochi, vel Confeſſarij, Bibliorum à Catholicis authoribus verſorum lectionem in vulgari lingua eis concedere poſſint, quos intellexerint ex huiuſmodi lectione, non damnũ, ſed fidei atq; pietatis augmẽtum capere poſſe: quã facultatẽ in ſcriptis habeant. Qui autẽ abſq; tali facultate ea legere, ſeu habere præſumpſerit, niſi priùs Biblijs ordinario redditis, peccatorum abſolutionẽ pcipere non poſſit. Bibliopolę verò, q

Sacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permiſſa plùs detrimẽti, quàm vtilitatis, affert.

Non permittẽda ſine perſonarum delectu.

Neganda abſolutio à peccatis cõtrariũ facientibus, & alia imponenda pœna.

prædictam facultatem non habenti, Biblia idiomate vulgari conscripta vēdiderint, vel alio quouis modo cōcesserint, librorum pretium in vsus pios ab Episcopo conuertēdum amittant, alijsq; pœnis, pro delicti qualitate, eiusdē Episcopi arbitrio, subiaceant. Regulares verò, non nisi facultate à Prælatis suis habita, ea legere, aut emere possint.

Sed iam vltimo loco ipsiusmet sacrosancti Concilij Tridentini, hac de re decreta referamus.

Decreta Concilij Tridentini.

I. Maxima authoritas Cōcilij Trident. quodq; aduersarij nulla ratione illud possunt reijcere.

CONciliū Tridentinum nuper celebratum, sapientissimis & sanctissimis suis decretis, istorum errorē cōdemnat. quod sanè aduersarij Cōcilium non est cur vlla ratione reijciant: cùm omnes ad illud vocati fuerint, & à suprema quidē Ecclesiæ potestate vocati & particulatim etiam Germaniæ tum Principes, tū Episcopi, ex quibus etiam Imperatoris ipsius legati tres interfuerunt, qui soli satis esse deberent, pro vniuersa Germania,

mania, cùm vniuerſalis Principis eiusnomen ſuſtinerēt; & præterea aliquorum aliorum legati Germaniæ Principū; cum cæteris aliarū omnium regionum Epiſcopis & legatis Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Poloniæ, Venetiarum, atq; aliarū prouinciarum Chriſtianarum. Deinde etiam tot Eccleſiaſticis dignitatibus & Prælatis ibidem exiſtentibus, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archipreſbyteris, Sacerdotibus, & pleriſq; alijs. Demum cùm tot, tamque inſignes ibi Doctores interfuerint, tot nationum atque linguarum, tam diligens inquiſitio, & tot annorum ibi facta, & tam aſſidua tractatio: imò & tanta libertate habita, vt vel hoc ſolum ſatis eſſe deberet, ad hæreticorū impudentiam conuincendam, qui aiunt, ſe liberum Concilium poſtulare; quique ſe audent Concilio toti, ac tot celebrium & doctiſſimorum virorum conſenſui arrogantiſſimè præferre. Tandem cùm in eius Concilij abſolutione & fine tanta omnium concordia fuerit, omnibus vide-

licet consentientibus, post omnium Decretorum recitationem, non solùm eius anni, sed præteritorum omnium annorum, quibus durauit Concilium, cuncta simul approbando, & Anathema contrarium sentientibus acclamando: cùm postremò à summo Pontifice cõfirmatum fuerit, & à tot prouincijs receptum, vt magna sit arrogãtia, & stultitia, nolle acquiescere: sed in se quoque consideratum, cùm præstantissimum sit, atq; doctissimum tãtæ eruditionis atq; doctrinę, & vt dogmata ipsa atq; decreta per se manifestè demonstrant, ab ingenti sapiẽtia, & spiritu sancto profectum, tot fidei definitionibus, & morum reformationibus, vt si cum omnibus superioribus Concilijs conferatur, in hac parte nullo sit inferius, imò reliqua omnia in hoc superare aliquo modo videatur, ita vt nullum sit, in quo plura, nec verò etiam tot sint fidei dogmata constituta.

11. Hoc ergo celeberrimum & insigne Concilium, tota hac vulgaris

sacri

sacri causa perspecta, & omnibus perpensis Lutheranorum, Caluinistarum, & cæterorum hæreticorum obiectionibus, (vt deberent iam tandem supercilium deponere, & sua colla indomita orbis Concilio subijcere, & iudicio cedere) maturo demum consilio statuit, non expedire, vt sacrum vulgari lingua fiat, sed per conciones duntaxat instrui populum oportere. Sess. 22. de sacrificio Missæ, cap. 8. Etsi Missa, inquit, magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, vt vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento vbique cuiusque Ecclesiæ antiquo, & à sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre & magistra probato ritu, ne oues Christi esuriant, néve paruuli panem petant, & nō sit, qui frangat eis; mādat sancta Synodus Pastoribus, & singulis curā animarū gerētibus, vt frequenter inter Missarū celebrationem

Concil. Tridentinum.

Missa non expedit celebretur passim vulgari lingua.

Antiquus, & à sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre & magistra, probatus ritus retinendus.

vel per se, vel per alios, ex ijs, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi huius sacrificij mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & festis.

III. *Concil. Trid.* Similia his præcipit, quod ad Conciones attinet, Euangelij, & Epistolarum, ac Catechismi expositionem, & reliquorum quę sunt necessaria ad salutem, Sessione 5. suprà citata decreti reformationis cap. 2. & Sessione 24. cap. 4. & præterea de Sacramentorum vi & vsu, ibidem cap. 7. non tamen præcepit, vt fiant hęc vulgari lingua, vt præcipiunt hæretici: sed vt ab Episcopo vel Parocho in concione exponantur populo necessaria pro eius capacitate.

Cōcilium non præcepit vulgari lingua celebrari: At scioli isti sapientiores cōcilio, præcipiunt.

IIII. *Concil. Trid.* Idem Concilium eadem Sessione 22. canone 9. Si quis, ait, dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantùm vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offe-

Et qui dicit Missam vulgari tantùm lingua celebrari debere, anathema.

ferendo, eo quòd ſit contra Chriſti inſtitutionem, Anathema ſit. Qui ergo ijs amplius poſtulat, Concilium tantum contemnit, non ſatis ſanus mente ac ſui compos. Sed ad Rationes veniamus.

Qui tãto Cõcilio non acquieſcit, nõ ſolũ hæreticus, ſed inſanus eſt.

Rationes, quibus oſtenditur, non expedire, vt ſacrum vel diuina officia vulgari ſermone paßim celebrentur.

CAPVT XVI.

IAm ſupereſt, rationibus agamus, & oſtendamus, Primò non expedire; Deinde neque decere, vt ſacrum vel diuina officia vulgari ſermone paſſim celebrentur; Poſtremò nulla ratione id eſſe petentibus concedendum aut permittendum. Ac primò quòd non expediat, oſtenditur ex multis.

Primò, ex vnione fidelium & Chriſtianę religionis, quæ inde periret. 1.

Secundò, ex varijs cauſis hæreſum ac errorum, quæ inde naſcerentur. 2.

Tertiò, ex eo quòd eſſet quoque magnæ ignorantiæ & imperitiæ cauſa in Republica Chriſtiana. 3.

4. Quartò, ex varietate, incertitudine, & multitudine versionum.

5. Quintò, ex pluribus alijs incommodis.

Ex vnione fidelium & Christianæ religionis, quæ hac ratione tolleretur.

CAPVT XVII.

Si sacrũ vulgari sermone & officia diuina passim celebrarẽtur, quadruplex fidelium vnio periret.

SI vulgari sermone sacrum passim celebraretur, quadruplex vnio periret, scilicet fidei, religionis, & charitatis, ac morum vitæ & societatis, quodq; deterius est, id accideret in ipso vnionis & charitatis Sacramento, & in celebratione ac cultu præcipuo religionis, vt in ijs vnitas nulla esset.

1. *Vnio fidei periret, et cõtrà conseruatur. Vnius regionis fidem altera ignoraret. Tanquã ad alterius fidei, vel secta homines accederent.*

Igitur primò vnio periret fidei. Nã si in varijs regionibus, & prouincijs, dissimili loquendi genere sacrum fieret, & officia diuina celebrarentur, tunc quæ illorum esset fides, aliæ regiones ignorarent; & is profectò, qui ex vna in aliam migraret regionem, tanquam ad alterius fidei ac religionis homines accederet, cùm nil prorsus

ſus intelligeret eorum, quæ ibi dicerentur, vnde illi prorſus ei eſſent barbari, ac perinde, ac ſi inter alterius ſectæ homines verſaretur. Modò verò in omnibus regionibus, vbi eadē lingua, vtpotè Latina, ſacrum & officia diuina fiunt, & in hoc linguæ idiomate in rebus religionis ac celebratione conueniunt, ſic ſe habent, veluti ſi inter ſuos verſarētur, atque inter eos, quos agnoſcunt fideles, & eiuſdem eſſe religionis. Et quidem non exigua hæc eſt animi conſolatio, cùm in aliena fidelis eſt regione, quanuis eorum linguam nō intelligat; videre tamen & audire ſacra & diuina officia, eadem lingua, quam ipſe ſemper in ſua ipſius regione audierat & viderat celebrari; & eiſdem, aut ſimilibus vti ceremonijs conſpicere. Nam & gratias Deo ſic agunt, & fiduciam concipiunt, & in fide, vbicunque gentium eſſe contigerit, confirmantur.

Eſſent ſibi inuicē barbari.

Magna eſt fidelibus cōſolatio, cū accedunt ad alias regiones eadēmet lingua celebrantes: & ſibi videntur eſſe inter ſuos.

Sic cognoſcūt eos eſſe fideles.

Cùm fideles vident eadem lingua in alijs regionib9, ad quas ire contingit, celebrari, gratias ſic Deo agunt, fiduciam cōcipiūt, et in fide confirmātur.

II. Secundò, religionis quoque ac diuini cultus ſic vnio periret. Nam cùm diuerſa lingua quæuis prouincia cele-

Vnio religionis, ac diuini cultus periret, & contrà conſeruatur.

celebraret, etiam diuersis ceremonijs vteretur, ac prætereà spatio paucorum annorum, cùm non haberent inter se commercium, paulatim diuersi cultus & varij ritus, præsertim in Sacramentorum administratione obreperent, ac singulæ sic prouinciæ facilè à suscepto cultu defluere possent, & variæ in eo mutationes fieri contingeret, quare breui plurimæ oborirentur in Ecclesia superstitiones & falsi cultus: ita vt actum prorsus in ijs esset de religione Christiana, & eius vnitate. Quod cùm videat futurum dæmon humani generis hostis, ideo tantopere hac via conatur, per nouos istos deprauatores religionis, totam religionē euertere. Quæ quidem hodie oculis ipsis cernere licet, apud hos, qui nouandi omnia licentiam sibi arrogarunt. Nam hi non eundem in hac re, etiam in qua conueniunt, morem obseruant. Si quidem quot ciuitates, tot cernere licet apud illos rituum & religionum diuersitates. Etenim, quod sine risu plerunque videre non possis, hi vno modo cœnā, quam vocant

Obreperent superstitiones, & falsi cultus.

Hac via dæmon conatur religionem euertere.

Non sine risu apud nouatores religionis, varia & in-

cant Dominicam, celebrant; alij longè alio ac diuerſo; alibi vernacula lingua cantantur omnia, Latina nihil; alibi Macaroneam quandam videre licet, dum vulgaribus linguis Latina miſcentur; alibi demum omnē prorſus Eccleſiaſticum cantum reijciunt: vt denique hi omnes non minùs differant religionis cultu, quàm ſectis.

decentia, in Dei cultu hodie cernimus.

III. Iam charitatis vnionem inter fideles bona ex parte perituram, ex eo oſtendi poteſt, quòd ſermonis & linguæ ſimilitudo beneuolentiam conciliat, & eſt magnum amoris vinculum, vt perſpicuè liquet inter homines eiuſdem patriæ. Quare ſaltem hoc vinculo continētur, qui eadem lingua non poſſunt, diuerſarum linguarū homines, in eodem videlicet Sacramentorum & religionis ſermone, vtriſque communi, conuenientes.

Vnio charitatis inter fideles periret, & cōtrà conſeruatur.

Linguæ ſimilitudo beneuolentiā conciliat, & eſt magnū amoris vinculum.

IIII. Morum etiā diſſimilitudo neceſſariò cōſequeretur, & animorū alienatio, & ſocietas inter eos diſſolueretur, ac vitæ communitas, ſublata religionis vnitate, & linguæ, vt videmus in his qui diuerſam religionem diuerſis linguis

Morū inde diſſimilitudo oriretur, et animorū alienatio, et ſocietatis vinculum diſſolueretur,

contrà cõseruatur. linguis colunt. Quid ergo est aliud, quàm cõmune charitatis vinculum Ecclesię velle disrumpere? & à se fideles disiunctos ac separatos esse, cupere? & à se inuicem alienos, ne dicam planè efferatos homines reddere?

Ostensum ergo est, aduersari fideliũ & Ecclesiæ vnioni, tum in fide, tũ in moribus, charitate & religione hanc sacri & officiorum diuinorum vulgari passim lingua Lutheranam, Caluinianam, & sacrilegã celebrationem.

Ex errorum & Hæresum causa.

CAPVT XVIII.

1. *Errorum & hæresum esset magna causa.* NEc vnionem tantùm Ecclesiæ dissolueret, sed errorum ac hęresum esset magna causa. Quoniam si ita fieret, vt isti religionis hostes contendunt, in grauissimos errores homines facillimè inducerentur, tum in vertendo, tum post versionem. Non enim in tot tamque dissimilia regionum idiomata, sacræ literæ absque maximo erroris periculo, vel saltem non leui (ob cuiusque linguæ proprietatem) fidei iactura, verti possent. Præterea nullus vn-

vnquam posset reperiri eius versionis idoneus iudex, sed nec supremus quidem Ecclesiæ, cùm linguam ignoraret, qui de illa versione iudiciū ferret. Nullus, inquam, vel tunc primò, vel postea cùm pro libito mutaretur, iudicare valeret, an in ea genuinus & ꝓprius sacrarum literarum sensus iuxta linguæ proprietatem redderetur. Nec vllus, qui errores, & abusus, qui in vna lingua acciderent, & quotidie subreperent, deprehenderet, conueniens & sufficiēs iudex esse posset. Sed nec, in quibus ij ab alijs prouincijs differrent, an verò cum illis conuenirēt, cùm aliorum versionis linguam ignorarent, sciri posset.

Nullus reperiri posset idoneus omnium illarum versionum iudex et errorum in eis cōtentorū.

Vna prouincia nesciret, an differret fide & religione, an conueniret cum altera.

11\. Post versionē verò, quoniā in scriptura sunt multa difficilia intellectu, vt D. Petrus Epistola 2. cap. 3. asserit de D. Pauli Epistolis, Sicut, inquit, & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiā scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quędam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, &c. D. Paulus quo-

In sacris literis sunt multa difficilia intellectu, & indigent doctore.

2. Petri 3.

2.Corinth.4. quoque 2. Cor. 4. opertum, ait, Euangelium esse ijs, qui pereũt. Et idem
1. Timoth. 1. Paulus 1. ad Timot. 1. quidam aberrãtes, conuersi sunt in vaniloquium volentes legis esse doctores, non intelligentes, neque quę loquuntur, neque de quibus affirmant. Nam sacras literas, & Dei Euangelium doctorẽ requirere, perspicuũ est, ex illo eiusdem
1. Cor. 12. D. Pauli ad Corinthios dicẽtis, Posuisse Deum in Ecclesia quosdã doctores, quosdã interpretes, quosdam genera linguarum &c. Non ergo omnes doctores esse, aut sacras possunt literas suo sensu interpretari, & intel-
Clemẽs Alex. ligere. Vnde rectè Clemens Alexandrinus libro 6. Stromatum, Propter multas, inquit, causas, occultant scripturæ sententiam. Primùm quidem, vt diligenter inquiramus, & semper vigilemus in inueniendis salutaribus orationibus. Pręterea ne omnib⁹ quidem conueniebat hominibus, intelligere, ne læderentur aliter accipientes ea, quæ à sancto spiritu dicta sunt salubriter. Denique quædam sunt in sacra scriptura huiusmodi, quæ etiam ij, qui

ij, qui in sacrarum literarum studium sedulò incubuerunt, vix assequuntur. Quòd si sapientes & periti quandoque hallucinātur, quid de rudi & imperito vulgo, ac populo, futurum putamus? Quo fit, vt si hæc populo sine magistro tradas, non paruos illi fidei scrupulos frequentiùs inijcias, & ansam præbeas, vt in rebus fidei eius animus sæpe ac vehementer perturbetur, atque vt varijs tandem expositionum generibus excogitatis, huc illuc miserabiliter magno cum eius fidei periculo impellatur & fluctuet. Quid enim aliud faciat, aut facere possit, imperitia & ignorantia?

Si sapientes et periti quandoq; hallucinantur, quid de populo imperito sperandū, nisi vt in varios fidei scrupulos et errorū ansas conijciatur.

III. Experientia item constat, idiotismum causam extitisse multorum errorū & hæresum, his vulgaribus versionibus enutritum. Hinc enim ortæ sunt hæreses Vualdensium, qui alio nomine Pauperes de Lugduno vocati sunt. Nam cùm Vualdenses homines idiotæ essent, Vualdus eorū princeps (à quo nomen desumpserunt) aliquos sacros libros in vulgarē linguam sibi transferēdos curauit, quos

Idiotismus fuit multorū errorū causa.

Vualdenses.

legens & nō intelligens, in varios incidit errores. Et ob eandē causam Beghardi olim & Turelupini homines indocti & literarū imperiti, & non nulli nūc alij nostrę ętatis hęretici à Lutheranis orti, vt Adamitę, & reliqui Anabaptistę ferè omnes idiotę in grauissimas hæreses & errores sunt prolapsi.

Beghardi. Turelupini.

Adamitæ. Anabaptistæ.

IIII. Huius aūt rei perspicua est ratio, quia ex vario sensu hęreses omnes fiunt, cùm quisque iudicat de scripturę sensu, ut sibi uidetur. ut Arrius filium Dei Christum minorem esse patre, quia Christus dixerit, Pater maior me est; vt etiā Nestorius, Pelagius, Eunomius, cum cæteris antiquis hæreticis sacris se literis tuebātur suo sensu expositis, & præsentes hodie hæretici Lutherani, Caluinistæ, Sacramentarij, Trinitarij, & reliqui eius farinæ homines inter se omnes non minùs, quā ab orthodoxis, diuersi, ex sensus scripturæ diuersitate, quem quisque propriū pro se vsurpat, & fingit, mira discordia conpugnant.

Hæreses ortæ, dum in sensu scripturæ iudicat quisque vt videtur.

Nō minùs pugnant hæretici inter se, quàm cū orthodoxis.

Hæresim enim non faciunt sacræ literæ, quas omnes recipiunt, sed sensus:

Non faciunt hæresim sacræ literæ, sed præ

ſus: atq; ideo illi omnes ſunt & fuerũt hæretici, quòd propriũ ſenſum ſequi voluerunt potiùs, quã Eccleſiæ; & ex varijs ſenſibus in varias inciderũt hæreſes. At verò vulgari ſermone facilè omnes etiam idiotæ ſenſus varios inuenire poſſent. &c.

nus ſenſus, in quem facilè idiota inciderent.

Præterea non poteſt rectè vulgus intelligere, cũ ſit indoctũ, multi idiotæ, multi mali, impij, ſuperſtitionibus dediti multi, &c. qui variè ſenſibus ſacrarũ literarũ ex ignorantia, vel malitia, vel prauis moribus abuti poſſent. eſt .n. vulgus Lerna multorũ capitum. V.

Non poteſt vulgus rectè intelligere.

Ad hæc turba indocta tropos non aſſequitur, nec parabolas, & figuratas locutiones à non figuratis non diſtinguit. Præcedentia ſequentibus nõ nouit conferre, & media vtriſque: ſed ſigillatim ſingula per ſe conſiderat, vt facilè errare poſſit. VI.

Vulgus neſcit rationem interpretationis: ſed ſigillatim ſingula conſiderat, et ita facilè errat.

Item pugnantia loca ſcripturæ vulgus neſcit concordare, ſed eſſent illi planè erroris occaſio. multa etenim ſunt ſacrarum literarum loca in ſpeciem contraria; vt verbi gratia illud ad Roman. 14. Regnum Dei non eſt VII.

Vulgus neſcit pugnãtia loca cõcordare, & ita facilè in alterutrã partẽ impinget.

Ad Rom. 14.

esca & potus: cùm contrarium appareat illud Lucę 22. Ego dispono vobis, vt edatis, & bibatis in regno meo. Itē illud Genes. 2. Crescite & multiplicamini: & contrà Lucæ 13. Beatę steriles, quæ non genuerunt: & illud quoque Matthæi 19. Sunt Eunuchi qui se castrauerūt propter regnum cælorum. Item Genes. 22. Tentauit Deus Abraam: & contrà Iacobi 1. Deus neminē tentat. Item illud Matth. 15. Quod intrat per os, non coinquinat: & contrà illud Pauli 1. Corinth. 6. Ebrij regnum Dei non possidebunt. Item illud Exodi 14. Videruntque Deum, & comederunt & biberunt: & contrà 33. Nō poteris faciem meam videre & viuere. Item Matthæi 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus: & contrà illud Matthęi 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem, qui in cælis est. Et denique sexcenta huiusmodi loca sunt, quę proferri posset. Quare cùm in hęc vulgus incidat, quæ putat contraria, aut dubitabit, aut vacillabit in fide, nesci-

Lucæ 22. Genes. 2. Lucæ 13. Matth. 19. Genes. 22. Matth. 15. 1. Corinth. 6. Exodi 14. Exodi 33. Matth. 6. Matth. 5.

In contrarijs locis vulgus dubitabit, vacillabit, aut

nesciens vtra pars sit vera, aut temerè cẽsebit alteram scripturæ partem reijciens, vt hæretici sæpe consueuerũt. Ac si quam scripturam contrariam reperiant, vt non Canonicam repudiabunt. Imò etiam sanctos interpretes, si aliter interpretentur, temerariè eos dicent & putabunt errasse; tales hodie censores multos habet Germania & Gallia. Vnde iure optimo Ferdinandus Rex Hispaniæ, acerrimus religionis Christianæ defensor, qui ob insignem pietatem, nomen Catholici promeruit, sacra Biblia sermone Hispanico translata Iudæis tunc temporis in Hispania habitantibus, quos postea Hispania expulit, omnino prohibuit, quia inde errandi occasionem multi desumebant, & conuersi ad vomitum redibant.

temerè censebit, aut alteram scripturã reijciet.

Rex Ferdinãdus cognomine Catholicus, Hispaniæ Rex.

VIII.

Præterea, multa sunt in sacris literis, quę vt erroris occasionẽ prębere poterant, ita etiã alia, quę prima fronte, & literali tantùm sensu simpliciter intellecta, ad carnalẽ sensum indoctũ hominẽ & imperitũ prouocare possent, & quę illi vel vilia, vel contẽnenda,

Multa sunt in sacris literis, quæ ab idiotis & imperitis ad carnalem sensum trahi poßent.

Et alia, quæ absurda, vi-

lis, aut cõte-mnẽda eis facilè ob ignorantiam apparerent.

da, vel absurda facilè apparerẽt, vt quę in Canticis canticorũ de amoris verbis inter sponsum & sponsam dicebamus. Item plurimę parabolæ, & similitudines, tum noui, tũ veteris testamenti: in quibus si cortex duntaxat literæ spectetur, simplex apparet, & rudis sermo, neq; res magnificę, cùm tamẽ doctiori & altiori sensu spiritus sancti interpretatę profundissima Dei sapientia ibi cõclusa reperiatur. At in populo necesse est, plerosq; esse rudes, imperitos, carnales, & huius seculi tantùm prudentes ac sapientes, & sensus spiritualis planè incapaces. Ergo &c. Vnde meritò dixit D. Paulus 2. Corinth. 3. Litera occidit, spiritus autem viuificat.

2. Corinth. 3.

IX.

Aliqua sunt in sacris literis, quæ rudi et ignorãti populo viderentur simpliciter imitanda, in quibus tamen grauiter erraret cõtra bonos mores. Genesis 38.

Præterea sunt aliqua facta, quæ populo rudi & ignoranti viderentur imitanda; vt de fornicatione Thamar, Genes. 38. De Ruth exemplo sibi spõsum quærentis, Ruth 3. De mendacio apparenti Iudith erga Holophernem, Iudith 10. & 11. & Dauid, quando fugit Saul, & mansit apud Regem Geth, 1. Re-

1. Regum 21. & 27. Illud etiam Oſeæ, *Ruth 3.*
quando iubebatur accedere ad forni- *Iudith 10.11.*
cariam, & vt ex meretrice liberos ſuſ- *1.Reg.21.27.*
ciperet, Oſeæ 1. Quodque ait ſcriptu- *Oſeæ 1.*
ra, inebriatum Ioſeph cum fratribus, *Geneſis 43.*
Geneſis 43. &c. Quæ ſi populus legeret, quo ſpiritu eſſent facta, non dignoſcens, fortè ſimpliciter ea imitaretur. Igitur aut putaret rectè facta, & tunc eadem ageret: aut crederet mala, & tunc irrideret atque contemneret, & vel ſcripturam ipſam, vel ſanctos Patres iudicaret, atque ita tandem populus in varios errores cõtra fidem contraque bonos mores laberetur.

Dices fortaſſe, Idiotas hęreſiarchas paucos numero fuiſſe, at multò plures extitiſſe, qui & ingenio, & doctrina pollerẽt, nec tamẽ doctis vnquam fuiſſe prohibitam lectionẽ ſacrarum literarum, quare neque idiotis prohibendam. *x. Obiectio.*

Reſpondemus, Hæreſiarchas paucos quidem ex idiotis extitiſſe, at verò qui illorum veſtigia ſequerẽtur, illiſq; fauerent, quã plurimos fuiſſe idiotas, *Confutatio, I. Ex idiotis licèt pauci fuerint hæreſiarchæ, tamen multi*

Sunt sequaces hæresiarcharum.

tum ciues, tum agricolas, tum etiam principes, ac integras denique respublicas: (Atq; vtinam id hodie non sine graui animi dolore cerneremus)

2. *Vulgari versione maximè trahuntur, et capiuntur idiotæ.*

qui quidem omnes vulgari versione maximè allectantur, & pertrahuntur ab ipsis hęresiarchis, cùm ea illis offerant atque proponant, præsertim pręcipua pro ipsorũ erroribus loca, quibus facilè capiãtur, idq;, vt ipsi hęreticũ sensum ab hęreticis sibi obtrusum, suo iudicio legentes faciliùs approbent, eligãt, & ei assentiãt; atq; ita proprio iudicio, vt ait D. Paulus ad Titũ 3. cõdemnentur.

Ad Titum 3.

3. *Mos hæreticorum.*

Vnde mos est celeberrimus hæreticorum & maximè nostrorum, vt ipsosmet idiotas iudices cõstituant sacrarum literarum, & earum sensus arbitros efficiant, sic instigantes: Vide hoc; tu ipsemet iudica; Deus tibi tribuit intellectum; Tu potes habere, & habes spiritũ sanctum,

4. *Fucata exhortatio hæreticorum ad idiotas.*

vt cæteri, & gratiam intelligendi scripturas; nã & Apostoli fuerũt idiotę, & tu poteris illuminari à Deo; Cum simplicibus sermocinatio eius; Omnes sunt docibiles Dei, & his similia. Hæc

Prouerb. 3. Ioan. 6.

ideo,

ideo, vt ſcilicet non captiuantes intellectum in obſequium fidei, quod Paulus poſtulat 2. ad Corinth. 10. ſicut ipſimet hæreſiarchæ doctiores, ita & cæteri ſint proprio iudicio condemnati. Atque hæc eſt vna ex potiſſimis cauſis, cur ita obſtinati poſtea manent non ſolùm hæreſiarchæ, ſed etiam hi idiotæ; quia videlicet ſuperbia proprij iudicij eos excæcauit, & ſibi nimiùm arrogantes, ac cæterorum iudicij contemptores effecit.

2. ad Cor. 10.

5. *Idiotæ hac via proprio iudicio condemnantur, vt ipſimet primarij hæretici.*

6. *Hæc eſt cauſa obſtinationis idiotarum, & hæreticorũ aliorum.*

Ex cauſa ignorantiæ.

CAPVT XIX.

Errorum & hęreſum eſſe cauſam oſtendimus: iam eſſe quoq; magnę ignorãtię cauſam oſtẽdamus. Id autem ſic probatur: Si omnia in Eccleſia vulgari lingua celebrarentur, periret ſciẽtiæ & omnium diſciplinarum, & bonarum artium genera, præſertim verò Theologia, & hinc fieret, vt breui tempore magna ignorantia,

1. *Magna eſſet ignorantiæ, tum ſcientiarum, tum linguarũ cauſa.*

nõ solùm populus, sed etiam ipsi vniuersi Sacerdotes laborarēt. causa autem est in promptu: neq; enim tunc quicquam literas curarēt, aut sibi studij aliquid in linguis Latina & Græca ponendum existimarēt, in quibus tamen scientiæ & artes ac disciplinæ cõscriptę sunt; sed lingua solùm vulgari essent contenti, in qua sacra & officia fierent diuina, & in quà sacras haberent literas, vt experientia nunc in quibusdam prouincijs deprehendimus, vbi iam non solùm scientiæ, sed linguę negliguntur: esset itaque magna Sacerdotibus ignorantiæ occasio. Sic etiam vidimus superiori ætate non ante multos annos apud totum fermè hunc nostrum Occidentem in Græcæ linguæ cognitione accidisse, vt quanuis ea elegans & vtilis esset, tamen vix vllus reperiretur, qui Græcè sciret, aut addiscere laboraret: quòd eius rarus esset vsus, nec vrgens necessitas. Tolle enim necessitatem discendi, tolle vtilitatem; quis erit, qui velit linguis, vel scientię alicui operam

Frigerēt studia linguarū & scientiarum.

ram

rani dare. Hinc etiam fieret, vt qui doctiores linguas non attigissent, ad beneficia & præbendas ad presbyteratus, ac postremò ad Episcopalis dignitatis gradum promouerentur. vnde eueniret, vt vix vnus aut alter Latinæ linguæ incumbere vellet. Iam verò aufer Latinæ linguæ cognitionē, & cùm nil Pastor ex D. Augustino, ex D. Hieronymo, D. Ambrosio, ac cæteris sacris Doctoribus, sacrisq; Concilijs & decretis, proferat; necesse est, vt vel nihil dicat, vel somnia sua, id, quod ipse scilicet excogitauit, cum magno suo & populi Christiani periculo doceat.

Episcopi & Sacerdotes fierēt idiotæ.

Concionatores nō ex probatis anthoribus, sed sua somnia populum docerēt.

Rursus, si sacrificium Missæ, & officia diuina fierent vulgari sermone, omnes libros, præsertim sacræ Theologiæ, sacrosque Canones, & instructiones Sacerdotū, cum alijs Ecclesiasticis libris secum traherent quoque ad vulgarē sermonē, vt vulgariter eadē lingua omnia cōscriberentur, cùm sit tantū, & tale sacrificium sacrosanctum Missæ, vt omnium 11.

Fierent scriptores & libri solū vernacula linguæ.

sit finis, quæ fiunt in Ecclesia, &, vt ait D. Dionysius de Ecclesiast. Hierarchia, sit Teleton teleti, id est, Sacramentum sacramentorum.

D. Dionysius Areopagita. τελετῶν τελετή.

III. Præterea, cùm in sacro & officijs diuinis magna pars sacrarum literarum contineatur, concionatores loca Epistolarum, & Euangeliorum citare cogerentur, vt in vulgari sermone haberentur, & vt quotidie cantarentur in sacro: populus enim grauiter, & iniquo animo ferret aliter, aut alia lingua citari, quàm ipse didicisset & quotidie audiuisset, imò non pateretur secùs vllo modo fieri, diceret nanq; sibi fidem mutari, dum aliter quàm quotidie audit in sacro à concionatore proferrentur.

Citare oporteret ex vernacula lingua versione.

IIII. Vnde pari ratione omnia cōmentaria sacrarum literarum scribenda quoque essent in eam versionem vulgarem, vt illis commodè vti possent ad illius textus intelligentiam, atque ita tandem omnia Theologica vulgari lingua conscribi necesse esset.

Omnia commentaria sacrarū literarū in eam essent vulgarem versionē scribenda.

Semper enim ita factum videmus, vt Theologi tam Latini quàm Græci,

&

& Hebraici cum cęteris in ea lingua scripserint, in qua sacrum celebrabatur, & in qua diuina mysteria apud eos Ecclesia tractabat; atque ex nouatoribus hodie non pauci in suis quique linguis, ob eam causam, in sacras literas commentaria scribunt.

V. *Latinos Doctores contemnerēt, vulgares potiùs legerent.*

Hinc etiam existeret, vt vulgaris linguæ Doctores frequentiùs euoluerent, omissis reliquis, vt (proh dolor) multis in locis Germaniæ, Gallię, ac Angliæ iam nunc fieri conspicimus. Sed & hoc eueniret, vt Doctores Ecclesiæ sacros vulgari lingua conuerti esset necessarium, vt istorũ iam miseri quidam sentiunt, & ita negligerentur Latini. Imò sunt aliqui, qui ex eodem principio, sic desipiunt, vt etiam scientias vulgari sermone tradi velint, & in Academijs pręlegi vulgares scientiarum authores. At mira ignorãtia inde sequeretur, tum quia non esset, qui verteret fortasse, aut nõ qui rectè: tum quia in quacunque vulgari lingua cuiusuis ciuitatis, vel prouinciæ, non possent tam multi libri verti, & excudi, quàm multi Latino

Non possent, in quauis ciuitate, vel prouincia, tã multi libri verti, excudi, &c.

no sermone sunt conscripti, etiam si plurimi libri & à plurimis conuerterentur.

VI. *Non potest quæuis lingua tot & tam doctis hominibus abũdare.* Præterea quæuis prouincia sibi nõ potest esse satis, nec tam diues est doctrinarum, aut tot abundat, tamque doctis hominibus, vt edat, vertat, cõponat, scribat, excudat tot libros, quot Religio vtitur Christiana, quotque ei vtiles sunt, ac necessarij.

VII. *Vna prouincia cùm sibi non sit satis, alterius tamẽ scriptis vti nõ posset.* Iam verò cùm vna prouincia non sibi sufficiat, nec scripta aliorum doctissimorum virorum propter linguæ dissimilitudinem illi possint esse vsui; multa eius homines ignorarent, quę alij aliarum regionum scriberent, & inter hæc, vt contingit, non pauca, quæ ad salutem animæ maximè facerent, nescirent, ex quo Christianorũ mentibus ac fidei lumini magnæ obducerentur tenebrę.

VIII. *In pluribus ciuitatibus & regionibus, plura sunt celebria* Item hoc est certũ & sine vlla ambiguitate confitendum, plura in pluribus prouincijs & ciuitatibus, & pluribus regionibus esse celebriora ingenia; & plures in pluribus viros bo-

nos & doctos, quàm in vna tantùm ciuitate, aut prouincia reperiri, qui possint & scribere, & sacras literas exponere, & docere Dei populum; & in fide, religione, ac moribus, & doctrina plurimùm promouere. Iam si hęc omnia eadem communi cunctis lingua scribantur, quæ isti dicũt, & scribunt, omnia, inquam, eorum monumenta cõmunissima lingua & nobilissima scripta, ad fideliũ omnium & singulorum vsum poterunt pertinere, vt ex ijs doctrinam & pietatem hauriant tot scriptorum. At si singuli, sua quiq; lingua hæc scripserint, alijs, (vt diximus) alterius linguę hominibus nõ communicabuntur, neque proderunt, sed illis carebunt. Quamobrem minuetur manifestè cunctorum doctrina, & pietas, & scientiarum, fidei, ac religionis cognitio: & contrà inducentur tenebræ, & ignorantia, ac rusticitas, & ingens tandem idiotismus. Et confirmatius id fit: quia singulorum ingenia etiam in proprijs inuẽtis, aliorum scriptis perpoliuntur, & exacuuntur:

ora ingenia, quibus tamẽ carerent singulæ.

Sic minuerẽtur doctrina, pietas, &c.

qua occaſione carerent, ſi proprio idiomate ſinguli tantùm ſcriberent.

IX. *Experientia deprehenditur, magnam inde in pluribus regionibus ignorantiam naſci.*

Poſtremò tandem, hoc ſatis experientia compertum eſt in his regionibus, vbi vulgari lingua voluerũt ſacrum, & diuina officia celebrari, mira eos laborare ignorantia, & eſſe hodie hos quidem idiotas & ignorantes, illos verò etiam hęreticos & ſchiſmaticos; & tam hos quàm illos vix vllum habere commercium cum cęteris fidelibus, aut inter ſe; vt in Aegypto, Aethiopia, Bohemia, Ruſſia, Armenia, Dalmatia, & ſimilibus conſpicimus.

X. *Quæ inutilia, vel noxia eſſe experientia deprehendit, Eccleſia poſtea abiecit.*

Iam verò ſæpe vſu id euenit, vt cũ aliquid ſtatuitur ad mores corrigendos, & poſtea experiẽtia docente, viſiſque incommodis, intelligitur plùs nocuiſſe, quàm profuiſſe, tunc abrogetur lex in totum: nec ſolùm hoc apud ſeculares Reſpublicas, ſed etiam in Eccleſiæ gubernatione eius ſtatutis ac legibus accidiſſe videmus. vt verbi gratia de vigilijs nocturnis, quarum quidem Tertullianus lib. 2. ad vxorem meminit, tanquam quę in Ec-

Ecclesia obseruari solitæ essent: & D. Hieronymus aduersus Vigilantium, & in Matthæi cap. 25. indicat fuisse Ecclesiæ traditionem; & eas alij antiqui Patres laudant: At postea in desuetudinem abiere, imò postea in Cõcilio Eliberitano cap. 35. ipsius decretorum prohibitum est, ne fœminæ ad eas se conferãt. Item Eucharistia dabatur alicubi olim in manibus, vt ex Eusebio colligitur lib. 6. Ecclesiasticæ historię cap. 33. At modò nullus est, qui diceret reuocãdum esse in integrum illum vsum, aut imitãdum. Sic etiam ad tẽpus ab Apostolis fuit præceptũ, prout tunc occasio, & necessitas postulabat, Actuum 15. vt à sanguine, & suffocato, & idolothytis abstinerent: At hoc postea obseruatum non est, vt nunc etiam non obseruatur. Item D. Paulus 1. Corinth. 11. præcepit, vt mulier velato, vir oraret aperto capite: At neque hoc apud omnes in vsu est. Sic etiam scribit D. Ambrosius in ca. 4. ad Ephesios, inter initia Euangelij ob necessitatem, vt multiplicaretur plebs Christiana, omnibus fuisse Euãgeli-

Concilium Eliberitanũ.

Eusebius Cæsariensis.

Actuum 15.

1. Cor. 11.

D. Ambrosi. Ad Ephesi. 4.

 geli-

qua occasione carerent, si proprio idiomate singuli tantùm scriberent.

IX. *Experientia deprehenditur, magnam inde in pluribus regionibus ignorantiam nasci.* Postremò tandem, hoc satis experientia compertum est in his regionibus, vbi vulgari lingua voluerũt sacrum, & diuina officia celebrari, mira eos laborare ignorantia, & esse hodie hos quidem idiotas & ignorantes, illos verò etiam hęreticos & schismaticos; & tam hos quàm illos vix vllum habere commercium cum cęteris fidelibus, aut inter se; vt in Aegypto, Aethiopia, Bohemia, Russia, Armenia, Dalmatia, & similibus conspicimus.

X. *Quæ inutilia, vel noxia esse experientia deprehendit, Ecclesia postea abiecit.* Iam verò sæpe vsu id euenit, vt cũ aliquid statuitur ad mores corrigendos, & postea experiẽtia docente, visisque incommodis, intelligitur plùs nocuisse, quàm profuisse, tunc abrogetur lex in totum: nec solùm hoc apud seculares Respublicas, sed etiam in Ecclesiæ gubernatione eius statutis ac legibus accidisse videmus. vt verbi gratia de vigilijs nocturnis, quarum quidem Tertullianus lib. 2. ad vxorem meminit, tanquam quę in

Ec-

Ecclesia obseruari solitæ essent: & D. Hieronymus aduersus Vigilantium, & in Matthæi cap. 25. indicat fuisse Ecclesiæ traditionem; & eas alij antiqui Patres laudant: At postea in desuetudinem abiere, imò postea in Cōcilio Eliberitano cap. 35. ipsius decretorum prohibitum est, ne fœminæ ad eas se conferāt. Item Eucharistia dabatur alicubi olim in manibus, vt ex Eusebio colligitur lib. 6. Ecclesiasticæ historię cap. 33. At modò nullus est, qui diceret reuocādum esse in integrum illum vsum, aut imitādum. Sic etiam ad tēpus ab Apostolis fuit præceptū, prout tunc occasio, & necessitas postulabat, Actuum 15. vt à sanguine, & suffocato, & idolothytis abstinerent: At hoc postea obseruatum non est, vt nunc etiam non obseruatur. Item D. Paulus 1. Corinth. 11. præcepit, vt mulier velato, vir oraret aperto capite: At neque hoc apud omnes in vsu est. Sic etiam scribit D. Ambrosius in ca. 4. ad Ephesios, inter initia Euangelij ob necessitatem, vt multiplicaretur plebs Christiana, omnibus fuisse Euā-

Concilium Eliberitanū.

Eusebius Cæsariensis.

Actuum 15.

1. Cor. 11.

D. Ambrosi. Ad Ephesi. 4.

gelizare permiſſum: cùm tamen ex officio ad Epiſcopos & Sacerdotes propriè pertineat. Quare meritò aucta Eccleſia, nemo audeat, nec debeat præſumere officium, quod ſibi creditum, vel conceſſum non ſit. Imò verò ipſum vulgare ſacrum iam apud nonnullos, qui eo vtebantur, in deſuetudinem venit, vt apud Morauos, ac nõnullos ex alijs: quòd experientia edocti intelligerent, id nullam vtilitatem, ſed potiùs varia incommoda attuliſſe. Quamobrem hodie qui Catholicæ ſunt communionis, eadem qua apud nos, hoc eſt, Latina lingua, rem diuinam faciunt. Igitur, etiam ſi vſus is eſſet alicubi iam receptus vulgaris linguæ, tamen eſſet abrogandus, vt noxius: nam & ſtultũ eſt, quod experientia oſtendit inutile, velle iterum reuocare, aut mordicus retinere. Sed ad alia incommoda non minora pergamus, varietatis, incertitudinis, ac multitudinis verſionum, & reliquorum grauiſſimorum malorum, quæ inde promanarent.

Si alicubi nũc in ſacris vſus eſſet vulgaris linguæ, is eſſet vt noxius abrogandus.

Stultum eſt, quod experientia docuit inutile, velle iterum reuocare, aut retinere.

Ex

Ex varietate, incertitudine, & multitudine versionum. CAPVT XX.

PRæter illa igitur tot, & tã insignia incommoda, superiùs dicta, etiã pberetur occasio, vt fierent plurimæ, & adulterinæ versiones, & variæ, & incertæ, & à diuersis pijs & impijs, doctis pariter & indoctis; non solùm in vna, sed in singulis & diuersis puincijs, vt nũc in Germania videmus, q̃ pessimis & corruptissimis scatet versionibus. Vnde Lutheri versio in plusq̃ sexcẽtis locis à Catholicis adulterata deprehenditur: nec id à Catholicis tantùm, nam si conferas Zuinglij translationẽ cum ea, quã edidit Luterus, in plerisq; rebus, ijsq; grauibus, magnã discrepantiam, & repugnantiã inuenies; cõferas cum illis reliquas, q̃ hodie in illis puincijs extant, nõ pauciora, aut minora reperies discrimina: vt si nulla alia causa, vel hęc sola satis esse debeat, ne passim hæc vulgari sermone tradantur. Imò etiã Latinè præstat vnam tãtùm oẽs sequi ab Ecclesia approbatam. Vnde D. Hieronymus, vt ipse ait

1. *Innumeræ fierent versiones adulterinæ, variæ, incertæ, &c.*

Lutheri versio cũ Zuinglij & istorũ cũ aliorũ hereticorũ versionibus in pluribus sibi aduersantur & pugnant.

Expedit vnã Latinam esse versionẽ, quã oẽs recipiant, & ab Ecclesia approbatam sequantur.

D. Hierony. in Prologo Iosue, ideo compulsus fuit, vnam cōscribere, quæ etiam comprobaretur ab Ecclesia, quòd tot tunc essent exemplaria Latina, quot codices. Non ergo expedit, vt hæc passim conuertantur. Neque immeritò Ecclesia solùm quatuor Euangelia approbauit, & vt apocrypha reiecit reliqua, Nicodemi, Nazarenorum, seu Hebræorum, & quod vocatur Bartholomæi, &c. quòd non expediret singulos (mutato præsertim aut ementito nomine, quod facilè posset accidere) scribere Euangelia; nec etiam eadē lingua, videlicet Hebræa, Græca, vel Latina, nedum diuersa: at in versione simile, aut idem esset periculum, ne dicam maius.

Non immeritò Ecclesia quatuor tantùm Euangelia approbauit, & reliqua reiecit, vt apocrypha.

11\. Iam diuersa regna non solùm idiomate non cōueniunt, vt Gallia, Italia, Germania, cum cæteris; sed etiam eiusdemmet regni singulæ ferè prouinciæ aliquando sic differunt, vt vel parum, vel ne verbum quidem intelligant aliarum. Imò verò eiusdem prouinciæ ciuitates, ac verò etiam pagi, dialectis ita inter sese differunt quan-

Oporteret in singulis non solū regnorū, sed ciuitatū, pagorū, & oppidulorum, ac rusticorū dialectis verti sacrū, & officia diuina:

quandoque, vt ciues difficilè rusticos intelligere valeant, nec rustici ipsos ciues. Quare si sacrum, & diuina officia vulgari quouis sermone essent celebranda, vertantur oportet, non tãtùm in linguis diuersorum regnorum, sed diuersarum prouinciarum, sed ciuitatum, quæ idiomate differũt; sed & pagorum & rusticorum lingua: quod quidem esset plusquàm Babylonica confusio. Atqui eadem vtrobique est causa, diuersitas videlicet idiomatis. At verò pręter hanc Babylonicam confusionẽ, facilè quoq; fides periclitaretur in singulis nõ solùm hominibus, sed pagis & ciuitatibus, & prouincijs.

quod est planè ridiculũ.

III. *Sic fides periclitaretur.*

IIII. *Id est factu non solùm superfluum, sed impoßibile.*

Imò, vt antea diximus, impossibile planè hoc factu esset, vt singuli sibi verterent libros, eos omnes, quibus opus haberẽt, & vt propria quiq; lingua sibi sufficienter pararent.

V. *Oporteret singulis penè trecentis annis versionẽ mutari sacrorum & diuinorũ officiorum.*

Lingua præterea solet mutari non parum singulis trecentis annis, vt in Hispania hodie apparet, & plerisque alijs regionibus, in quibus vix nõnulla, quæ extant scripta ante trecentos

 annos

annos eiuſdem linguæ, nunc temporis intelliguntur. Et id præſertim accidit, ſi bellis regnum agitari contingat, aut externarum nationum frequēs haberi commerciū: tunc enim plurimę & magnæ fiūt in lingua mutationes. vnde oporteret tunc aliter vertere & mutare, cùm lingua corrumpitur, vel mutatur; & ita frequēter inuerti ac permiſceri omnia.

VI. Imò verò ſolēt linguæ ſingulis 20. annis aliqua ex parte immutari, vt 5. ſex vel octo vocabula, aut phraſes, in quauis lingua innouentur, quod quidē experiētia oſtēdit. Quare fieret, vt & iterū, atq; iterū hęc eſſent quoq; ſemper pro abſoletis vocabulis ſubſtituenda, & innouāda, in ipſo etiā ſacro, & diuinis officijs, cū tale aliquod verbū fortè contingeret. quod tamē ſine fidei iactura plerunq; non foret: quia fortaſſis ille malè verteret, qui nouū pro veteri vocabulū ſubſtitueret, & ita periculū eſſet, ne ſimul fidē cū vocabulo innouaret. nuſq̄ enim, q̄ in hac parte, periculoſiùs erratur. At ſi non mutarentur hæc noua vocabula,

Oporteret frequēter plura innouare vocabula, quod non fieret ſine fidei periculo.

VII.

Niſi innouarentur quotidie vocabula, ſacra, & Sa

la, is qui audiret, tanquàm iam abso-
leta, rideret: imò & irrideret, tum of-
fisia diuina, tum Sacerdotes, sic obso-
letè loquentes, & ijs verbis officia ce-
lebrantes.

Sacerdotes sacris operantes, riderentur ab astantibus & plebe.

Tandem si sic mutarētur vnà cum linguæ mutatione, inde quoq; sequeretur, vt obreperet obliuio fidei antiquæ, ac eius memoria penitus deleretur; cùm semper innouatam, nouis verbis illam retinerēt, & nescirēt quo modo olim sese res habuerit, aut quæ, qualísve fides, vel religio antiquitus fuerit.

VIII. *Antiquæ fidei memoria periret, & aboleretur.*

Vnde hinc quoq; contingeret, vt omnes traditiones Apostolicę perirent, nec probari certo vllo modo possent. Quod sanè necesse est etiam accidat ijs, qui vulgari lingua sacra & diuina officia celebrari volunt; cũ breui tempore prorsus nesciant, quę olim diuina officia, vel quæ sacra, vel quæ religio, aut quæ fides fuerit, & an cum antiqua ipsi consentiant, an secùs. Quam ob rē tum fidei, tum religionis ꝑpetua successio apud illos peribit, & mediũ hoc sanè esset

IX. *Apostolicæ traditiones perirent, nec probari possent.*

Perpetua successio fidei & religionis periret.

efficaciſſimum ad inducendam antiquę prorſus fidei obliuionem.

2\.

Melius eſt in vna lingua duntaxat, vt Sacerdotes poſſint vbiq; celebrare, intelligi, & intelligere; aliàs non poſſent, niſi in patria ipſorũ tantùm.

Sed præterea melius eſt, vnam duntaxat linguam diſcere, ſcilicet Latinam, in qua poſſint Sacerdotes vbique terrarum celebrare, & poſſint intelligere, & intelligi; quàm multas eſſe ſingulorum vulgares, vt alibi celebrare non poſſint, quàm in eorum patria, nec intelligi, nec intelligere in aliena. Poſtremò melior eſt, & præferenda vnitas. Sed quorum lingua confuſa eſt tot eorum ſectis, deſiderat, vt omnium linguæ in cultu diuino introducantur; vt exprimant ad viuum cõfuſionem illam linguarum Babylonicam, qua ipſorum interiùs mens laborat.

Quorum mens confuſa eſt tot ſectis, vellent eam Babylonicam confuſionẽ linguis exteriùs exprimere.

Ex connumeratione diuerſorum incommodorum, ſi ſacrum, vel officia diuina, fiant vulgari lingua.

CAPVT XXI.

Præter

PRæter hæc autem, quæ diximus, cōplurima alia ſunt incommoda, quæ iam in cumulum vnum congeſta breuitati conſulentes referemus. Primò igitur parua vel nulla vtilitas inde proueniret populo: non enim intelligeret ea, etiam ſi vulgari ſermone ſint conſcripta, & vulgariter dicantur, vt modò etiam non omnes, qui Latinè ſciunt, ea facilè intelligunt, Latinè dicta, aut recitata. Quotus enim quiſquè eſt, qui Pſalmos, Apocalypſim, Eccleſiaſtem, Iob, Prophetas, Pentateuchū, & Epiſtolas Pauli intelligat, quanuis in literis humanioribus, & Philoſophia, non mediocriter ſit verſatus? Imò verò ſi non dicendæ ſunt, nec audiendæ precationes, niſi quas omnes intelligant, inde facilè conſequetur, non futurum in Eccleſia prorſus pſalmorū vſum, quos Dauid conſcripſit. vix etenim, vt diximus, ex doctioribus quemque reperias, qui pſalmos quauis lingua proferantur intelligat. Ita etiam nec Prophetæ legendi eſſent cum reliquis ſupradictis ſacrarum li-

I. *Etiam vulgari ſermone, nō illa intelligeret populus.*

II. *Pſalmorū vſus deberet in Eccleſia ceſſare, ſi omnes intelligere deberēt, quæ dicuntur, etiam vulgari ſermone.*

III. *Non deberet recitari Apocalypsis, Cantica, &c. 2. Petri 3.*

terarum libris, Ecclesiaste, Apocalypsi, Canticis, &c. Imò neque D. Pauli Epistolæ, in quibus, vt ait D. Petrus 2. Epist. cap. 3. sunt multa difficilia intellectu, quæ quidam deprauant, ad suam ipsorum perditionem. Iam verò,

IIII. *Nec ipsam orationem Dominicã omnes intelligunt, nedum reliqua.*

quæ alia nobis prædicandi formula frequentior, aut qua alia magis vti fas est, quàm quæ ab ipsomet Christo est proposita, quæ ob id oratio Dominica vocatur? habemus eam vulgari lingua conuersam. quàm multos inueniri credis, qui vel tertiũ illius verbum, saltem ad literam intelligant? sanè ex vulgi imperiti multitudine vix centesimum quenque reperies, vt interim de sensu taceamus, quem neque ij assequuntur omnes, qui sibi doctiores prę cęteris esse videntur.

V. *Plerique ex populo negligerent, contemnerent &c. alijs negotijs deditι & occupati.*

Rursus etiam si intelligere possent, & sacra Biblia, & quæ in diuinis officijs in Ecclesia dicuntur; at pleriq; vel contemnerent, vel negligerent, vt fieri videmus, etiam nũc, cùm in vulgari lingua hæc pleriq; habẽt conuersa. Nam vel potiùs ciues mercaturã exercent, vel artẽ aliquam, vel militiã, vel nego-

tia

tia domestica, vel politica gerunt, vel aliud deniq; quicquã agunt, quàm vt ijs addiscendis vacẽt, vt interim agricolas, & rusticos omittamus, qui ne verbum quidem, aut legunt, aut audiunt, aut intelligunt. At doctiores si velint habere, facilè Latinè poterũt.

VI. *Agricolæ & rustici nec verbum etiã ita intelligerent.*

Præterea, experimento comperimus, ab ijs ferè ciuibus legi tantùm sacras literas vulgari sermone versas, qui errore aliquo deprauati & infecti sunt, non item à reliquis; & ad id tantùm legi, aut certè ad id potissimùm, vel vt errorem illum confirmẽt, vel vt videri possint scioli, in cæteris verò ab eisdem negligi videmus, nec valdè expeti eorum lectionem, quæ ad mores, vel ad alias fidei partes, vel rectè vitam constituendam spectant. hoc itaque experientia hodie deprehẽdimus, & plùs quàm vellemus. Quare hęc sola esset vtilitas, vt Catholici non legerent, populus verò hæreticus in suo errore cõfirmaretur,

VII. *Ab ijs ferè ciuibus legũtur sacræ literæ vulgari sermone, qui errore aliquo deprauati, aut infecti sunt, vt in errore confirmentur: vel scioli videantur, vt experientia deprehenditur.*

VIII. *Non legunt, quæ ad mores, & alios fidei articulos, sed quæ ad hæresim suam faciunt.*

IX. *Hæc sola vtilitas esset, vt Catholici non legerent, populus hæreticus in errore confirmaretur.*

vt

vt certè fit. præterquam quòd hanc nimiam intelligendi, & plùs quàm oportet ſciendi populi auidam curioſitatem eundem propè noſtra ætate fructũ attuliſſe videmus, quem attulit primis noſtris parentibus ille ligni ſcientiæ boni & mali infelix eſus. Nam vt illi à dæmone decepti, in eam curioſitatem ſcientiæ vetitæ, vt eſſent Deo ſimiles, inciderunt: ſic populus ab ijs concionatoribus, Sathanæ miniſtris, illectus, talis ſcientiæ promiſſione capitur atque decipitur. Iam fac vt & legant, & intelligant, profectò facilè vellēt videri ipſis Sacerdotibus doctiores, imò illos planè contemnerēt, vt apud hæreticos videmus. Si quis enim iudicio ſuo maleſano fiſus, putaret ſe doctiorē eſſe Sacerdotē, quòd hęc vulgari lingua meliùs illo intelligere arbitraretur; ſtatim eum irrideret ac floccipenderet, vt experientia didicimus, & olim tem-

x.
Hæc nimia populi ſciendi & intelligendi curioſitas, eum fructum afferret, quem attulit eſus ligni ſcientiæ boni & mali primis parentibus.

xi.
Sicut dæmon primos parentes, ita iſti populum decipiunt, et capiũt Sathanæ miniſtri ſcientiæ promiſſione.

xii.
Etiam ſi intelligerent, tamen vellent videri ſacerdotibus doctiores, & illos contemnerent.

tempore Innocentij tertij apud Lotharingos contigit, vt idem suprà Epistola citata refert. Et cùm D. Paulus dicat 1. ad Corinth. 12. & ad Ephes. 4. Deum in Ecclesia posuisse quosdam Doctores, quosdam Prophetas, quosdam genera linguarum, & interpretationes sermonum. Et ibidem, Nũquid omnes Apostoli? nũquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? tamen hæc scripturarum, & diuinorum officiorum prophanatio veriùs quàm translatio nobis, si Deo placet, effecit sutores, sartores, lanios, baiulos, fartores, & pistores, subita metamorphosi Apostolos, Doctores, Prophetas: imò, quod ridiculum magis est, sutrices, & sartrices, & lanias, & baiulas, ac pistrices, Prophetissas, Apostolas, Doctrices. Nuper contigit quandam vetulam ipsum Concionatorẽ in media concione publicè coram omnibus reprehendisse, quòd non benè citasset scripturã. Cui Concionator egregiè respondit, ex D. Paulo, Mulierem in Ecclesia docere non permitto, sed domi si quid scire vellet virum suum inter-

Innocen. III.

Non omnes Doctores, neque omnes Prophetæ etc.

1. Corint. 12. Ephes. 4.

Apud hæreticos sutores, sartores, lanij etc. sunt Doctores, Prophetæ, Apostoli, imò sutrices, sartrices, laniſtæ, sunt Doctrices, Prophetiſſæ, Apoſtolæ.

interrogaret. Haud diſſimiles his eſſe ſolent, etiam Latinè periti, ſed ſcientiarum ignari, qui ſacras literas vel de primo tantùm limine ſalutarunt, vel primis deguſtarunt labijs, arrogantes, inquam, ſcioli, & garruli, Theologos ac doctiſſimos quoſque contemnentes, ex ea cauſa, quòd ſe Latini ſermonis peritiores putent, & Latinè ſacra Biblia intelligere ſatis ſibi videantur. Quales plerique ſunt noſtra ætate hæreticorum miniſtri, imperiti tamen ipſi diſciplinarum, indocti, & tantùm per compendiola nihil diſcentes: Eiuſmodi permultos aluit & habet hoc quintum Lutheri Euangelium, & ſextum Caluini. Ex his ergo, vnà cum populo paucos videmus legere ad deuotionem, vel ad morum correctionẽ, vel ad fidei Catholicę cognitionem; ſed ad contentionem, ad inanem iactantiam, ad Sacerdotum contemptum, ad ſuperiorum irriſionem, & denique ad fidei & religionis euerſionem; & vt geſtiant ipſi aliorum eſſe, fieri ac videri doctores, doceri verò recuſent, ac dedignẽtur.

XIIII. Quales habeat miniſtros quintum Euangelium Lutheri, & ſextum Caluini.

XV. Quo fine & fructu hi legant diuina.

tur. At verò olim apud Maiores no- XVI.
ſtros, moderatè vulgus intelligere af-
fectabat; nec volebat ſapere plùs, quā
ſapere oportet; toto verò corde ad
pia pietatis opera erat intentus; &
Sacramentorum Chriſti fructum aui-
dè ác vnicè quærebat. At noſtra æta-
te, apud hos præſertim nouatores, XVII.
poſtquam non in bonis operibus, ſed
in fictitia neſcio qua fide, & inani fidu-
cia, totam ſalutis æternæ ſpem collo-
care cœperunt; poſtquam non Chri-
ſti Sacramenta, non charitatem, non
opera, ſed ſolam illam vanam fidē iu-
ſtificare putarunt; facti ſunt homines
præter modum ſuæ vitæ negligentes,
ſciendi plùs, quàm oportet, auidi, ni-
miùm curioſi, & nouarum rerum im- XVIII.
probè cupidi, vt quod olim in Actis A-
poſtolorum cap. 17. de Athenienſibus
dicitur, nūc de Germania, & Gallia, &
locis alijs, vbi peſtis hęc graſſatur, dici
meritò poſſit, Ad nihil aliud eos vaca-
re, niſi dicere aut audire aliquid noui.
Itaq; ad bona opera, Chriſtiq; Sacra-
menta reuerēter & cum fructu ſuſci-
piēda, redditi ſunt negligentiſſimi, ad
vani-

Olim cùm fides vigebat Catholica, nō ſic affectabat populus ſapere plùs, quàm ſapere oportet.

Hi nouatores religionis reddiderunt ſua illa fictitia fide populum honeſtioris vitæ, & Chriſti Sacramentorum, & bonorum morum contemptorē.

Effecerūt curioſum, immoderatè ſcientiæ appetentem, et nouarum rerū percupidum.

vaniloquium verò, & inutiles quæstiones conuersi, Tragœdias has otiosi excitant de idiomate, quo sibi sint sacra, aut diuina celebranda, & eiusmodi alijs, quæ neque ad ipsos, neque ad populum spectant. Hoc potiùs curare deberent, vt orationibus, & pijs operibus, & humilitate, & obedientia, harum diuinarum rerum vellent esse participes. Hos itaque & similes fructus affert, istud quintum Lutheri Euangelium, aut sextum Caluini: vt scilicet populares homines, arrogantes, & insolentes reddat, curiosos, & rectæ vitæ, virtutum, & bonorum morum contemptores.

XIX. *Ad populum non qua fiant lingua, sed quo modo diuinorum officiorum sint participes orationibus & pijs operibus, humilitate et obedientia, spectat.*

XX. *Ex Missæ partibus.*

Iam si ad ipsum sacrosanctum sacrificium oculos cõuertamus, ex partibus ipsius Missæ & diuinorum officiorum omnino conuincitur, non id expedire, neque faciundum esse sacrum, aut diuina celebranda lingua vulgari. Nam partes Missæ sunt hæ: Introitus, & orationes; lectio Euangelij, & Epistolæ; Canon cum Præfatione & oratione Dominica; & ipsa diuina consecrationis verba cum po-

stre-

ſtrema gratiarũ actione. Officiorum quoque diuinorum partes ſunt tum hymni, tum pſalmi, tum aliæ noui ac veteris teſtamenti lectiones & orationes. Iam ergo aut id volunt hæretici ob Canonem & auguſtiſſima ipſa verba conſecrationis, vt ea, inquam, omnes audiant & intelligant. At hoc non decet, nec expedit, quin potiùs ſecretò dici debent, quòd ſint ſacratiora myſteria, quàm vt omnibus debeant euulgari. Vnde Dionyſius de Eccleſiaſt. Hierarc. Timotheum aliquoties admonet, ſacra illa myſteria eſſe occultanda, cuius verba paulò pòſt fuſè citabimus. Et Concilium Tridentinum nuper celebratum, Seſſio. 22. can. 9. ob id alta voce proferri prohibuit, dicens: Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis & verba conſecrationis proferuntur, damnandũ eſſe, &c. Anathema ſit. Meritò autem tum ob abuſus, & ſuperſtitiones vitandas, quæ inde poſſent obrepere, tum ob reuerentiam maiorem ſic conſtituitur.

Non expedit, nec decet, vt Canon Miſſæ, et verba conſecrationis publicè, vulgari lingua recitentur.

D. Dion. Are.

Concilium Tridẽtinum.

XXI. *Non eſt neceſſe Epiſtolã vel Euãgelium &c. vulgari lingua recitari.*

Aut id poſtulant hæretici ob Epiſtolam, & Euangelium, & Pſalmos &c. At hoc nõ rectè. Primò, quia iam habet populus qui interpretetur illa eadem per Concionatores, & Paſtores; à cuius ore faciliùs & tutiùs accipiat. Præterea, quia ea habent in ſacris Biblijs proprio idiomate conſcriptis, quæ poſſunt cum licentia Ordinarij legere, vt ampliùs non ſit, quid petant. Sed ea etiam habent in quibuſdam expoſitionibus, ac concionibus vulgari ſermone conſcriptis. Neque

XXII. *Non expedit paſſim, & ſine delectu licentiam concedi.*

verò expedit paſſim ſine licentia, ſineque perſonarum delectu & diſcrimine, aut habere, aut legere, aut cuiuis concedi ob cauſas dictas. Atque ita in optimè conſtitutis Rebuſpub. obſeruatur: vt non cuiuis paſſim licentia concedatur, ſed delectu vita, & fide cuiuſque perſpecta, vt in Catalogo quoque librorum edito Romæ, magno conſilio, & prudentia, ex Concilij Tridentini voluntate, & præſcripto præcipitur.

Catalogus librorum prohibitorum. Conciliũ Tridentinũ, Seſſ. 18. et Seſſ. 25. in decreto de Indice librorum.

XXIII. *Obiectio. Confutatio.*

At dicis, Volo in ipſo quoq; ſacro hęc audire vulgari ſermone. Reſpondeo

deo ad hęc: primùm nimia videtur curiositas. Deinde non id expedit, quia sacrum debent omnes indiscriminatim, non tu solus, audire, inter quos necesse est multos esse indoctos, idiotas, & imperitos, malos, impios, & superstitiosos, qui illis facilè abuti possent, & abuterentur, & ita incideremus in tot & tanta superiùs enumerata incommoda. 1.

In sacro non solùm pij, sed impij inter-sunt, imperiti et superstitiosi, & scelerati, qui facilè illis mysterijs abuti possint.

Sed satis etiam multa intelligit populus (vt antea vidimus) cùm interest sacro & diuinis officijs, quæ quotidie celebrãtur, quãuis linguã ignoret. Nouit, inquam, quid illic fiat in genere, nempe Deum coli & honorari: Deinde nouit illic à Sacerdote & alijs Ecclesiæ ministris Deum orari, & peti beneficia pro populo, & gratias agi Deo; & Christi memoriã, & passionis cõmemoratione fieri, & sacrificiũ celebrari, Deoq; offerri, & Sacramentum Eucharistiæ consecrari &c. Neq; vllus est tã rusticus, qui hæc nesciat. Et quidẽ hoc est eis satis, & tutius, vt ipsi proficiant, mentẽ eleuent, & simul orent, si velint. 2.

XXIIII. Sed ad alia inconuenientia iam progrediamur. Sacrum non est vulgari sermone celebrandum, nec sacra Biblia passim cuiuis permittēda, nec officia passim diuina euulganda, quia populus, quæ in sacro & diuinis officijs audiret, & reliquam scripturā adduceret, vt assolet, ad lepóres, & facetias prophanas, ad dicteria, ad libellos diffamatorios, & ad varias superstitiones, vt quotidie etiam Latinè fieri videmus. Nam si cùm non intelligũt, sic alieno sermone ea vsurpāt & prophanant; quid futurum putabimus, cùm omnes ea intelligerent, & tum impijs omnibus, tũ etiā sceleratissimis quibusque essent peruia.

Iis quæ in sacris audirent, ad lepóres, ad facetias, ad superstitiones, ad libellos diffamatorios, abuterētur, vt solent.

XXV. Meritò sanè in Catalogo librorum prohibitorum, ex Concilij Tridentini statuto & voluntate à sapientissimis viris cōfecto, (vt diximus) à summoq; Pontifice Rom. nuper euulgato, meritò, inquam, statuitur, vt ab Ordinario habeatur delectus personarũ, in permittenda lectione sacrorum librorũ vulgari sermone, nec cuiuis passim, sed cuius explorata sit fides, & vita, concedatur.

Catalogus librorum prohibitorum.

Non cōcedenda lectio sacrorũ Bibliorum vulgarium sine delectu, nec passim cuiuis.

Sacrum

Sacrum verò, & diuina officia, ab omnibus indiscriminatim essent passim audienda, atque ideo de ijs arctiùs adhuc statuit Concilium ipsum, vt vidimus Sess.22.cap.8. prohibens meritò, ne lingua vulgari passim Missa celebraretur, quòd id non expediret, & si quis dixerit, lingua tantùm esse vulgari celebrãdum, Anathema. Addamus iam alia breuiter incommoda, & huic rei finem imponamus.

XXVI. *Sacrum non celebrandum passim vulgari lingua, & si quis cõtrarium asserit, Anathema. Concilium Tridentinum.*

XXVII.

Si non sit in Ecclesia communis aliqua lingua, sed vulgaribus tantũ proprijs singulæ vtantur prouinciæ, sequeretur id, quod summum omnium malorũ in Ecclesia caput esset, vt generalia Concilia nunquam in Ecclesia sperari possent, nunquam celebrari. Nam quid, obsecro, ibi agerent, non communicantes in lingua saltem vel Latina, vel Græca Sacerdotes, & Episcopi congregati: si, vt olim apud turrim Babel, tot penè erũt linguæ, quot homines? In hæc ergo tot, & tam grauia mala nos pręcipitant impij, & cęci nostri temporis hæretici, præterquam quòd dum Latinam linguã, quæ pro-

Nisi aliqua esset in Ecclesia lingua cõmunis, sed solùm vulgaris, non possent Concilia generalia celebrari.

XXVIII. *Tunc tale esset Concilium sicut olim apud turrim Babel.*

pter ſacra & diuina officia, ſacraſque
XXIX. ſcripturas potiſſimùm addiſcitur, ab-
Hi omnes barbaros fieri hac ratione volunt. ijciunt, & vulgares linguas eius loco introducũt, planè nos barbaros verè fieri, & dici volunt. Communem verò
XXX. linguam, in Occidẽtali Eccleſia, non
Latina lingua, vel propter ſolã antiquitatis authoritatem conſeruanda. aliam eſſe præter Latinam, manifeſtũ eſt. Quare à maioribus noſtris iure traditam tanquam auitam hæreditatem ad ſummam totius Eccleſiæ vtilitatẽ, Dei cultum & honorem, omnino retinere aduerſus hos ſycophantas Eccleſiæ Dei inimicos, & conſeruare oportebit.

XXXI. Præterquam quòd quædã antiqui-
In Latina lingua, præter antiquitatẽ, reuerẽtia quædam accedit, et ornatus diuinis officijs. tatis etiã grauitas, & reuerẽtia ſic remanet, & obſeruatio, quod in ornatũ etiam cedit diuini officij, & maieſtas quędã, quæ diuinis ſcripturis cõciliatur, diuiniſq; officijs: cùm ita conſeruantur, & recitãtur, ſicut traditæ ſunt à Deo, & à primis ſcripta ſacris ſcriptoribus, Apoſtolis & prophetis, iiſdẽ verbis, iiſdemq; characteribus cõſignata. in quo vt nihil ſit aliud, certè ineſt veneranda antiquitas, quæ tacitè cõmouet ſenſus legentiũ, audientibus affert

reli-

religionem. Deinde omnibus persuasum est, nullũ barbarũ idioma, in elegãtia, ornatu, pulchritudine, & sermonis proprietate cõferri posse cum Latino, vt de nostris, totius videlicet Occidentis linguis vulgaribus agamus: quum præsertim nonnullę earũ adeò barbarę sint, vt magis stridoribus, quã vocibus articulatis assimilētur; ita vt quædã etiam earum scribi vix possint. XXXII. *Nullum barbarũ idioma totius Occidentis conferri potest cum Latino in elegãtia, pulchritudine &c. Aliquot linguæ potiùs stridere videntur, quàm loqui. Aliquot etiam nec scribi possunt.*

Tandem maximè expedit, vt sacrificiũ Missæ, & diuina officia, in ea lingua celebrētur, quæ totius orbis prouincijs maximè est communis, vt suprà initio nostræ disputationis satis ostendimus, communissima, inquam, lingua, vniuersalissima, notissima, elegantissima, & doctissima: & deniq;, quam omnes, quantum fieri posset, etiam diuersarum linguarũ homines intelligant: quæq; dignitate, vtilitate, ac necessitate longè alias antecellit. Huiusmodi autē est Græca, Latina, & Hebræa. In ijs igitur potissimùm, vt etiam hodie fit, & semper factum est à temporibus Apostolorum, sacra & diuina officia erunt celebranda. XXXIII. *Lingua communissima, notissima, & præstantissima, quæq; vtilitate, & necessitate, alias antecellit, sacra et diuina sunt celebranda.*

Ex Decentia.

Quòd non deceat sacrum vel diuina officia vulgari passim lingua celebrari.

CAPVT XXII.

Ostenditur testimonijs sacrarum literarum, sacrorum Doctorum, & rationibus.

HActenus, an vtiliter hoc fieret, quantum potuimus disputauimus: sequitur vt ostẽdamus etiam non decere, idque multis & varijs nominibus. Primùm non decet, vt diuina & sacrosancta fidei mysteria in ore omnium hominum promiscuè versentur: quibusdam etiam verborum inuolucris, ac notulis pleraque sunt obtegenda, ne ab imperitissimo quoque passim intellecta, facilè quoque contemnãtur, vel irrideantur, aut parui fiant; quod quidem paulò antè obiter attigimus, sed nunc diligentiùs erit sacrarum literarum, sanctorumque Doctorum testimonijs, & rationibus demõstrandum. Hoc igitur, vt hinc initiũ faciamus, docuit Diuus Basilius in libro de Spiritu sancto, quædam esse videlicet secreta, & non euulganda in diuinis

Decet sacra et diuina mysteria occultari, & euulgari passim omnibus, dedecet.

1. D. Basilius.

diuinis myſterijs. Et idem quoque eodem lib. cap. 29. & Origenes homilia 5.in Numeros, ob id aſſerunt Moyſen non eſſe paſſum, vt omnia quę erant in tẽplo omnibus eſſent peruia: quòd ſciret res vſu tritas, expoſitas eſſe cõtemptui: quod verò ſepoſitum eſt, & rarum, huic coniunctam eſſe ſummã admirationem & reuerentiam. II. Origenes. Numeror. 3.

Et diuinus ille Dionyſius Areopagita in libro Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 1. Timotheum admonet, ne ſcilicet diuina myſteria paſſim euulget, ſed adhibito perſonarũ delectu, quibuſdam ſui ſimilibus, tantùm communicet. Sic ergo ait: Sacerdotij quidem noſtri functionem, ſanctiſſime fili Timothee, auguſtioris eſſe, ac diuinæ, & diuinitus indultæ ſcientiæ, actionisque & perfectionis ijs, qui ſacratioris doctrinæ inſtitutionẽ, ex ſacerdotalibus myſterijs, traditionibusque acceperunt, de ſanctarum ſcripturarum maieſtate neceſſariò demonſtrare inſtitui. Sed obſerua diligentiùs, ne Sancta ſanctorum efferas, neu prophanis hominibus violãda permittas: III. D. Dionyſius Areopagita. Diuina myſteria non euulgãda rudibus & prophanis homi-

nibus, ſed oc-cultanda, & intemerata ſic ſeruanda.

verùm reuereberis magis, occultiq́; Dei myſteria ſpiritalibus inuiſibilibusq́; notionibus honorabis: atq; intemerata ſeruabis, nequaquã ea paſſim rudibus tradens, ſed ſanctis ſolis ſanctarum rerum intelligẽtias ſacratius pandens. Sic enim (vt Theologia nobis ſuis ſtudioſis cultoribus tradidit) ipſe quoq; Ieſus diuina profectò atq; omni ſubſtantia ſuperior mens, & Hierarchiæ omnis, & expiationis, ac diuinæ actionis initium, & ſubſtantia, auguſtiſſimaq́; virtus, beatiſſimis illis ſpiritibus, & nobis naturali dignitate longè præſtãtibus, manifeſtiùs ſimul, atq; ſpiritaliùs lucet: eosq́; pro viribus ad lucis ſuæ ſimilitudinem transfert. Noſtros item varios & inconſtantes motus honeſtarum amore rerum in eo intento, nosque inteudente conſtringit, & complicat, & in vnam ac diuinam perficit vitam.

Sic in cælo Ieſus manifeſtiùs & clariùs ſe oſtendit beatis ſpiritib⁹, quàm nobis hic in terra degentibus.

Et paulò pòſt circa finem eiuſdem capitis: Non ſunt tamen opertæ diuinis pontificibus ſignorum rationes: quas in eos efferre fas non eſt, qui adhuc fidei rudimenta percipiunt: ſciunt

unt enim profectò vt hi, qui de sacris rebus diuinitus instructi leges dederunt: constantissimis & omni admixtione puris, inconfusisque sanctarum distinctionum ordinibus (distribuēda cuiq; pro merito & captu suo prouidentissima ratione censentes) functionem ipsam instituerunt. Quocirca tuis sacris pollicitationibus inductū, sanctū est ꝑfectò & me admonere, & te earū meminisse: vt eminētissimam pontificalis muneris rationē nemini tradas, prçterquā æqualibus tuis reuerendissimis prçsulibus, quibus sacra tractare institutum est. ipsosq; illos pontificio iure monebis, mundi vt mūda contingāt, solisq; cōmunicent diuina diuinis, perfecta perficiētibus, sanctisq; sanctissima. Ego enim tibi, vt reliquorum sacrorū, ita huius quoq; diuini muneris consortium tradidi.

Idem D. Dionysius circa finem septimi & vltimi capitis Ecclesiast. Hierarch. Efficiētes cōsecrationis (inqt) preces fas non est scripto interpretari, neq; ipsarum arcanum è secreto in publicum efferre.

D. Dionysius Areopagita.

Efficiētes cōsecrationū preces fas nō est scripto interpretari, aut in publicum efferre.

Idem

IIII. D. Gregorius Nazianzen. Idem D. Gregorius Nazianzenus, qui propter sacrarum literarum, diuinarumq; rerum peritiã Theologi cognomen inuenit, lib. 1. Theologiæ ait, quòd non omnium est de Deo, deque rebus diuinis disserere, quodq; neque omni loco, neq; omnibus, neq; omnia sunt propalanda.

Non omnia, nec omnibus, nec omni loco propalanda.

V. *Cõcil. Triden de Canone Missæ secretò dicendo.* Atq; ideo etiam meritò Cõcilium Tridentinum Sess. 22. can. 9. iam antea citato, cum Ecclesię ritum approbat, quo secretò eam partẽ Canonis pronunciat.

VI. Vnde Canon Missæ, & hæc quę secretò in sacro dicebantur, à D. Basilio lib. de Spiritu sancto cap. 27. vocantur secreta in secretis, & à D. Gregorio lib. 4. Dialogorum cap. 56. appellantur sacrificiorum arcana.

D. Basilius. D. Gregori9.

VII. *Canonis silentium indicat, cùm Christus secretò in horto orauit. Matt. 26.* Et meritò in silentio consecratio trãsigitur, & bona Canonis pars: quia silentium hoc indicat, cùm Christus, vt refertur à D. Matthęo 26. in horto à discipulis auulsus secretò orauit, noctuque captus est, & solus relictus.

VIII. *Antiquus Ecclesiæ mos, vt* Ac ideò etiam laudabilis mos antiquæ semper fuit Ecclesiæ, vt Catechu

menos

menos à myſterijs arcerēt, & cō-ſecrationis tempore ab Eccleſia egrederentur, vt refert idem Dionyſius de Eccleſ. Hierar. cap. 3.

catechumeni à myſterijs arcerentur, & ab Eccleſia egrederentur ex ea cauſa, conſecrationis tempore.

IX. In Concilio quoq; Carthaginenſi IIII. can. Epiſcopus nullum. & habetur de conſecr. diſt. 1. iubetur, vt omnibus pateat aditus vſque ad Miſſam Catechumenorum, etiam Iudæis ac gentilibus, nam poſtea non licebat intereſſe.

D. Dionyſius. Concil. Carth. 4. Ideo Iudæis & gentilibus ſolùm licebat manere in Eccleſia vſq; ad Miſſam Catechumenorum.

X. Ideo quoq; D. Chryſoſtomus in Matthæum homilia 24. ſic ait: Nam & myſteria ideo clauſis ianuis celebramus, & eos qui nondum initiati ſunt, adeſſe prohibemus: non quia infirmitatem myſteriorum aliquam deprehendimus, ſed quia ad participationem eorum illi adhuc, quos arcemus, infirmi ſunt. Similia dicit D. Cyrillus in Ioannem.

D. Chryſoſtomus. Ideo clauſis ianuis celebrabātur myſteria, & nondum initiati excludebantur, non quia infirma eſſent myſteria, ſed quia illi erant incapaces. D. Cyrillus.

XI. Atque id meritò. nam omiſſis alijs huius rei vtilitatibus, & cauſis, ſic magis reuerentur myſteria, quo auguſtiora ea vident, & non patere ad illa cuiuis aditum,

Magis ita reuerentur myſteria, quàm ſi ab initio omnibus eſſent expoſita.

quàm

quàm si vulgariter omnibus ab initio exposita essent.

XII. Antiqui proinde Patres spiritu sancto instructi magna religione rationem sacri huius mysterij prophanos & non satis fideles latere voluerũt, eiectis Catechumenis, & energumenis, & publicè pœnitentibus, & nõ nisi clausis, & obseratis templi foribus, & ne tunc quidem inter fideles altè Canonẽ pronunciabant, sed submissa voce. Cuius rei rationẽ reddit quoq; D. Ambrosius lib.6. de Sacramentis cap.4. Quia ineffabilibus mysterijs nulla res magis quadrat, quàm silentium.

Antiqui Patres latere voluerũt hæc mysteria prophanos, & non satis fideles.

Catechumeni, & energumeni, & publicè pœnitentes, eijciebantur.

XIII. *D. Ambrosius.*

Ineffabilibus mysterijs nulla res magis quadrat, quàm silẽtium.

XIIII. Hoc etiã Iudæi olim in antiqua lege eiusque sacris & diuinis rebus, & officijs obseruarunt. Nam & Cantica canticorum, & prima capita Genescos, & principiũ & finem Ezechielis, tanti faciebãt, vt D. Hieronymus in Ezechielem testatur, vt ea legendi nulli concederent facultatem, nisi trigesimum priùs explesset annum:

Etiã Iudæi olim idẽ seruarũt, vt nõ omnibus omnia sacra & diuina paterent, & Deus sic etiã statuit.

D. Hieronymus.

quòd

quòd in illis difficilia quædam continerentur, & secretiora diuini amoris mysteria, quæ populus non posset capere.

XV. *In præcipuis quibusdã mysterijs & sacrificijs veteris legis Deus aliquid secreti esse voluit.*

Sed etiam in pręcipuis quibusdam mysterijs, ac sacrificijs veteris legis, Deus aliquid secreti esse voluit. Agnus intra ipsas domos, & in noctis silentio manducatur, Exodi 12. Item Moyses solus ascendit in montem Synai, cùm legem Deus daturus esset, & populus prohibetur accedere, Exodi 20. Ac postea Exodi 24. cum Aaron tantùm, Nadab, & Abiud, & septuaginta senioribus ascendit ad Deum, vbi & viderunt Deum, & comederunt, ac biberunt, cùm populo id seriò esset interdictum. Imò & solus deinde Moyses, ad verticem montis, caliginem ingressus, ascendit, Exodi 24. vbi etiam solus instruitur de Tabernaculi, & arcæ fœderis constructione, Exodi 25. & sequentibus. Tabulas ibidem lapideas præterea legis solus bis accepit, Exodi 31. & 34. Item Moyses idem quoque solus facie ad faciem cum Domino

Exodi 12.

Exodi 20.

Exodi 24.

Ibidem.

Exod. 31. 34.

Domino in columna nubis, ad ostiũ tabernaculi,loquebatur; populus verò à longè eũ cum Domino loquentem, ex ostio quisq; papilionis sui,intuebatur, Exo.33. Manna, & virga Aaron, & Tabulæ testamenti in arca foederis conclusa, asseruabantur, vt Exodi 16. & ex D. Pauli quoq; Epistola ad Hebræos cap. 9. constat; neq; cuiuis ad ea licebat accedere, nisi solis sacerdotibus. Panes in mensa propositionis intra tabernaculum corã Domino asseruabantur,quibus vesci nõ licebat, nisi solis sacerdotibus, nec eos permissum erat alteri contingere, vt Exodi 29. & Leuit.24. cuius etiã rei meminit Saluator Marc. 2. & Luc. 6. Sacerdos intra tabernaculum Dominum consulebat, foris spectante populo. Item Numerorum 4. præcipiebatur Aaron & filijs eius,vt soli ingredientes tabernaculum, vasa inuoluerent in tabernaculo, ne publicarentur. Ignẽ intra tabernaculũ soli sacerdotes, vel Leuitæ accẽdebant. Nomen illud ineffabile Iehoua semel in anno in Sancta sanctorum sacerdos

Exodi 33. Exod.16. Ad Hebr. 9. Exodi 29. Leuit. 24. Marci 2. Lucæ 6. Numeror. 4.

dos summus solus proferebat, Exo. 30. & ad Hebr. 9. Multa denique prohibita fuerūt populo circa diuina mysteria, & occultata, atq; id ex ipsiusmet Dei institutione, quòd sic deceat ea ipsa diuina mysteria, & Dei arcana occultata reuereri & venerari. Demum legem de ore sacerdotum requirendam, Dominus dicit Malachię 2. non de ore populi, aut de illius vel alterius priuatæ personæ proprij sensus intelligentia.

Exod. 30.
Ad Hebr. 9.
Malac. 2.

XVI. D. Hilarius super 2. Psal. & Origenes homil. 5. in Numeros, referunt, quòd etiam aliqui ex præcipuis Rabinorum asserunt, Moysen non solùm legem in monte à Domino accepisse, sed etiam eiusdem legis secretiorē enarrationem, Deumque illi præcepisse, vt legem quidem populo scriberet, legis autem occulta mysteria, suo ministro Iosue, & primoribus deinde sacerdotibus magna silentij religione reuelaret. Est autem consentaneum Moysen intellexisse illorum sacrificiorum significationem, Christi videlicet futuri &c. & plura Deum

Plura nouit Moyses in diuinis illis mysterijs, quàm populus
D Hilarius.
Origenes.
Rabini Iudæorum.

illi reuelasse, quàm populo dixerit.

XVII. *In natura ipsa est positum, vt religionis arcana occultentur.* Atq; hæc de scripturis: ad gẽtium scripta transeamus, quæ etiam docẽt natura duce & magistra hoc omnes populos & nationes obseruasse, vt diuina arcana occultarent. Antiqui enim illi Romani, vt Fenestella lib. 1. de Magistratibus cap. 13. refert, Sibyllarũ carmina tanta religione colebant, & in tanta habebant veneratione, vt duobus tantùm magistratibus, prudentissimis viris, ea legendi daretur facultas, ac deinde postquam duorum magistratus, in decem mutatus est, ij solùm decem præstãtissimi viri de medio omnium maturo electi consilio legere poterant, & eis illorum lectioni solùm vacare licebat.

Etiã gentiles naturali solũ ductu lumine idem obseruarunt. *Fenestella.*

XVIII. *Cicero.* Hinc Cicero lib. 1. de Legibus sacra putat meliùs in Republica cõseruari, si à patribus accepta, deinde familijs prodantur.

XIX. *Clemens Alexand.* Clemens Alexandrinus 5. Stromatũ refert, Aegyptios nõ quibuslibet mysteria cõmisisse: nec rerum diuinarũ arcana ad prophanos deferre cõsueuisse, sed ad eos solùm, qui erãt ad re-

gnum

gnum ꝑuenturi, & ex ſacerdotibus, ijs,qui iudicati fuiſſent ꝓbatiſſimi, & educatione & doctrina & genere. Refert etiam Pythagoram, Platonē, Ariſtotelē,& pleroſq; alios Philoſophos, & antiquos myſteriorū ſcriptores, & Poetas vetuſtiſſimos,multa ſecretioris doctrinæ documenta occultaſſe.

Sic enim ait lib.5. Stromaton: Vnde etiam Aegyptij, non quibuſlibet, ea quę erāt apud ipſos committebāt myſteria; neq; rerum diuinarum cognitionem deferebāt ad prophanos: ſed ad eos ſolos, qui erant ad regnum peruēturi, & ex ſacerdotibus,ijs, qui iudicati fuerant probatiſſimi, & educatione, & doctrina, & genere.

Et multis interiectis: Iam ergo nec quibuſlibet volunt omnia exponi temerè, nec communicari bona ſapiētiæ, ijs qui ne in ſomnis quidem ſunt anima expurgati; (neque enim fas eſt quibuſlibet obuijs ea expetere, quæ parata fuere cum tot certaminibus) neq; prophanis verbi narrare myſteria. Aiunt certè Hipparchum Pythagoreum accuſatum, quòd apertè *Aegyptij.* *Hipparchus.*

ſcripſiſſet decreta Pythagoræ, expulſum fuiſſe è ſchola, & propter ipſum, tanquam propter mortuum, factam eſſe columnam.

Clemens Alexandrin⁹. Plato.

Et paulò inferiùs: Non ſoli autem Epicurei & Plato multa occultabāt, ſed etiam Epicurei dicūt quędam eſſe apud ſe arcana, & nō ꝑmittere omnibus vt ea ſcripta legant. Quin etiam

Stoici.

Stoici dicunt à Zenone primò quędā fuiſſe conſcripta, quæ non facilè permittunt legere diſcipulis, quorum nō priùs fuerit factum ab ipſis periculū, an germanè & ſyncerè philoſophentur.

Ariſtoteles.

Ariſtotelei quoque dicunt, ex ſuis ſcriptis alia quidem eſſe ἐισωτερικά, id eſt, interna: alia verò communia & ἐξωτερικά, hoc eſt, externa. Quin etiam ij, qui fecere myſteria, cùm eſſent Philoſophi, ſua dogmata obſcurauerunt fabulis, vt non eſſent manifeſta omnibus: Deinde illi quidem humanas celantes opiniones, arcebant indoctos, ne ad eas adirent: eorum autem quæ verè ſunt, ſanctam & beatam contemplationē, nónne multò magis celari conferebat? Et rurſus infe-

inferiùs : Quin etiam cum Pythagora conſuetudo & quæ cum familiaribus erat duplex coniunctio, vocans quoſdam ἀκουσματικοὺσ, id eſt, auſcultatores : quoſdã verò Mathematicos, qui ſyncerè ac germanè attingebant philoſophiam : ſignificabat aliud quidem dictum fuiſſe, aliud verò fuiſſe à multis occultatum. Fortaſſis autem illud quoque duplex orationis genus Peripateticorum, nempe & quod opinabile, & quod ἐπιστημονικόν, id eſt, ſcientiam conſtituens, vocatur, non multùm abeſt quin diuidat opinionẽ ac famam à vera gloria, quæ dicitur εὐκλεία, & à veritate.

Pythagoreorũ conſuetudo.

Et non multò ſuperiùs in eodem libro: Propterea certè per modũ occultationis, qui eſt verè diuinus, & máximè nobis neceſſarius, in adyto veritatis repoſitum verbum re vera ſacrum, Aegyptij quidem per ea quæ apud ipſos vocantur adyta, Hebræi autem per velum ſignificarunt licere ſolis ijs adire, qui erant ex ipſis conſecrati, hoc eſt, Deo dedicati, quibus erant circunciſæ vitiorum cupidita-

Diuina myſteria occultanda eſſe.

tes, per ſuam in ſolum Deũ charitatẽ. Non mundo enim mundum tangere, Platoni quoq; videbatur eſſe nepharium. Hinc prophetię & reſpõſa dantur per ænigmata. Nec oſtenduntur myſteria ijs qui temerè & impudenter accedunt, ſed cum quibuſdam expiationibus & prædictionibus.

Propheta.

Et paulò pòſt ait: Iam verò qui docẽtur ab Aegyptijs, primùm quidem docent Aegyptiarũ literarũ viam ac rationẽ q̃ vocatur ἐπιστολογραφικὴ, hoc eſt, apta ad ſcribendas epiſtolas: ſecũdùm aũt ſacerdotalem, qua vtuntur ἱερογραμματεῖσ, id eſt, ꝗ de rebus ſacris ſcribunt: vltimã aũt ἱερογλυφικὴν, id eſt, ſacram q̃ inſculpitur ſcripturã. cuius vna quidem eſt ꝑ prima elemẽta κυριολογικὴ, id eſt, ꝓpriè loquens: altera verò Symbolica, id eſt, ꝑ ſigna ſignificãs. Symbolicè aũt vna quidem ꝓpriè loquitur per imitationẽ, alia verò ſcribitur veluti tropicè, alia verò apertè ſumitur allegoricè ꝑ q̃dam ęnigmata.

De literis hieroglyphicis Aegyptiorũ, quibus occultabãt myſteria.

Et inferiùs: Oẽs ergo, vt ſemel dicam, ꝗ de rebus diuinis tractarũt, tam barbari q̃ Græci, rerũ quidem principia

Omnes qui de rebus diuinis tractarũt tã Græci,

pia occultauerũt, veritatem aũt ęnigmatibus, signisq́; ac symbolis, & allegorijs rursus & metaphoris, & quibusdam talibus tropis modisq́; tradiderũt, cuiusmodi sunt etiã apud Gręcos Oracula. Et paulò pòst: Dicit autem p Esaiã quoq; prophetã Spiritus: Dabo tibi thesauros tenebrosos, occultos. Dei autẽ thesauri, & q̃ non deficiunt diuitię, est q̃ est venatu difficilis sapiẽtia. Quin etiã Poëtæ, q à Prophetis didicere Theologiam, p arcana sensa multa philosophãtur, Orpheus, inquam, Linus, Musæus, Homerus & Hesiodus, & qui ea sunt ratione sapientes. Velum aũt eis apud vulgus est Poëtica delectatio, somniaq́;, & symbola, q̃ sunt omnia hominibus obscuriora. Hæc Clemens Alexandrinus.

quàm barbari, variis modis eorum veritatẽ occultarunt.

Diuinos thesauros esse occultos, propheta ea de re testimonium. Esa. 45.

Poetas etiam summos theologiæ arcana occultasse.

XX. Ad hæc pleriq; veterum scriptorũ referunt, Pythagorã nõ passim suę disciplinę euulgasse occultiora mysteria. Sed extat Lysidis Pythagorei Epistola, in qua Hipparchũ rep̃hendit, ꝙ publicè, contrà ac magister instituit, philosopharetur. nec enim fas esse ait, ea omnibus porrigere, quę paucis, &

Pythagoras.

Lysidis Pythagorei epistola

ijs quidẽ disertis, & laborantibus cõmunicanda sunt. Qui aũt Pythagoræ prȩcepta passim vulgo traderẽt,ȩquè eos impios haberi, vt qui ꝓphanis hominibus Eleusinarũ dearũ arcana patefacerent. Eis etiã esse similes, qui in prȩaltũ puteum cœno plenũ aquam purã atq; nitentẽ effuderint. Quos nil aliud facere,quàm cœnum turbare,& aquã amittere. Nec solũ à Lyside Hipparchus reprehẽsus est, sed accusatus

XXI. à discipulis alijs, & expulsus è schola,

Clemens Alexandrinus. & ipsi tanquam mortuo erecta columna est: quemadmodum Clemens

XXII. Alexandrinus 5. Stromatum scripsit.

Non licet quoq;, vt inquit, Pindarus,

Pindarus. apud omnes veterẽ aperire orationẽ, ꝑterquã fidelissimis silẽtij vijs.

XXIII. Amat enim natura celari,vt Porphy

Porphyrius. Lib. 7. histo. tripartitæ cap. 2. rius scripsit,nec diuina mysteria Deus patitur in aures vulgi introire pollutas: aurum & gemmas in altissimas terrȩ latebras natura condidit: ita magno habentur in pretio; vilescerent,si essent exposita.

XXIIII.

Plato. Plato scribẽs Dionysio, de quibusdam sacris mysterijs, monet, vt epistolam

ſtolam è veſtigio cõcerpat, ne in manus indigni vulgi perueniat. Tantę fuit olim vel Ethnicis curæ, lumine ſolo rationis edoctis, diſciplinarũ ſecretiora, & maximè ſacra myſteria, & à contemptu, & à prophano vſu defendere. Citat etiam Euſebius Cæſarienſis lib. 12. de Præparatione Euangelica cap. 4. Platonem in Gorgia ſic dicẽtem: Caueas, inquit, Plato, ne rudibus hæc omnibus cõmittas. hi enim nihil magis, quàm has vtiliſſimas narrationes, derident, quemadmodum contrà ingenioſi & ſapiẽtes nihil magis admirantur. Quare cùm eis ſæpius hæc narrãtur, crebrò audiẽdo vix tandem, vt aurũ, multo labore purgãtur. Sic & diuina ſcriptura res myſticas ad multos efferẽdas ꝓhibet. hæc Euſeb.

Tarquinius Rex Marcum Tullium Duumuirum, quòd librũ ſecreta ſacrorum continentem, eius fidei cuſtodiæque commiſſum, Petronio Sabino ſcribendum dediſſet, culeo inſutum in mare abijci iuſſit: ac iuſtiſſimè id quidem, vt Valerius Maximus ait, de ſeruanda religione lib. 1. Quia pari

XXV. Tarquinius Rex.

Valerius Maximus.

M 5 vin-

vindicta parentum, ac Dei violatio expianda est.

XXVI. Hermes Trismegistus. Hermes etiam Trismegistus in Asclepio, cùm de Deo, & diuinis rebus tractaturus esset, sic ait, ipsum Asclepium alloquens: Nullum voca alterũ, ne tãtę rei religiosissimus sermo, multorum interuentu venientiũ, præsentiaq; violetur. Tractatum autẽ tota numinis maiestate plenissimum irreligiosæ mentis est multorum conscientiæ publicare. Hæc ille. Et rursus idẽ author in libro, quẽ inscripsit Pimãder, vbi de diuina mente, ac diuinis rebus agit, non semel repetit.

XXVII. Semper tum Græci, tũ Latini in suis fal sis superstitionibus, naturali ducti lumine, aliqua secreta & occulta esse voluerunt. Semper denique tum Græci, tum Latini in suis superstitionibus, falsisque religionibus (quas tamen veras putabant) aliqua occulta seruabant, & secreta esse volebant, quæ non omnibus passim euulgarentur: atq; id sola ducti ratione, & naturali lumine, quòd Dei arcana & mysteria fas non putarent euulgari. Quid nos, qui cælesti illustrati sumus lumine, ac diuina edocti sapientia, qui res non ludicras, sed verè diuina, & sacrosancta myste-

myſteria tractamus: an ita erimus ſocordes, & tantæ irreuerentiæ redarguemur, vt diuinas res contemnentes, quemlibet vel turpiſſimum, vel viliſſimum, & imperitiſſimum ea iudicare, ea euoluere, in eis verſari, pro libito permittamus? Abſit hoc à pijs & religioſis hominibus.

Atque hæc cauſa inter alias, Eccleſiæ & Apoſtolis fuiſſe videtur, vt ſecreta & occulta quædam eſſe voluerint. Conſentaneum enim erat, myſteria quædam, præſertim ſacra, clam populo rudi habere, præfectis & maioribus ſeorſum communicãda. Non iudicaui, inquit Paulus 1. Corinth. 2. me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum: Sapientiam aũt loquimur inter perfectos. Et 2. ad Tim. 1. & 2. Formam, ait, habe ſanorũ verborũ, quæ à me audiſti, bonũ depoſitũ cuſtodi, & quæ à me audiſti per multos teſtes, hęc cõmẽda fidelibus hominibus, qui idonei erũt & alios docere. Itaq; Paulus ſecretiora eſſe quędã diuina myſteria voluit, & perfectioribus, ac ſapiẽtioribus reſeruari. Vnde

XXVIII. *Etiam Apoſtoli aliqua ſecreta & occulta myſteria fidei eſſe voluerunt.*

1. Corinth. 2.

2. ad Tim. 1. & 2.

Vnde quinto libro Stromatum Clemens Alexandrinus sic ait: His germana dicit sanctus quoque Apostolus Paulus, Propheticam & verè antiquam conseruans occultationem, à qua quæ Græcis fuerunt pulchra profluxere dogmata, Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapiētiam autem non huius seculi, neque principum huius seculi qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam. Deinde paulò inferiùs cautionē, ne sermones in vulgus exeant, docet hoc modo: Et ego, fratres, non potui loqui vobis tanquā spiritalibus, sed tanquam carnalibus. Tanquam infantibus in Christo lac vobis potum dedi, non cibum: nondum enim poteratis, sed nec nunc potestis. adhuc enim carnales estis. Si ergo lac quidem est infantium, cibus autem perfectorum nutrimentum dictus est ab Apostolis: lac quidem intelligetur catechesis, veluti primum nutrimentum animæ: cibus autem, suscipiēs contemplatio, quæ sunt ipsę carnes & sanguis verbi, hoc est, compre-

Diuina mysteria esse occultanda.

1. Cor. 2.

1. Cor. 3.

prehensio diuinæ potentiæ & essentiæ. hæc Clemens.

Iam verò quod maximi est momēti, Saluator ipse noster huius rei documentum non vnum, sed multa, nobis dedit, & factis atq; exemplis comprobauit. Ipse enim, vt D. Lucas 4. capite refert, lectis quibusdam versiculis coram plebe, deinde librum plicuit, & clausit, ac ministro dedit. Quo facto nos voluit admonitos (vt optimè inquit Venerabilis Beda in idem Lucæ cap. 4.) pauca quædam esse populo euulganda de diuinis rebus; multa tamen occultanda, vt quæ captum eius longè superent. Idem etiam Saluator hoc ipsum factis pluribus ostendit, qui pleraque populo in parabolis loquebatur, quæ populus non intelligebat, quæque ipse postea priuatim discipulis solis interpretabatur, vt in Euangelio refertur de parabola seminantis & similibus. Vnde interrogantibus discipulis Lucæ 8. quæ esset hęc parabola, ait, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Et Marci 4. ait Euangelista,

XXIX. Ipsiusmet Saluatoris nostri Iesu Christi habemus eius rei illustria exempla, facta & dicta.

Lucæ 4.

Beda.

Lucæ 8.

Marci 4.

lista, quòd non loquebatur eis, videlicet turbis, sine parabola, seorsum autem discipulis suis edisserebat omnia. Idem Saluator redemptionis nostræ præcipua mysteria non coram toto populo, sed coram paucis quibusdam eius discipulis, perpetrare voluit, corã alijs non ita: vt Christi resurrectio non omnibus tunc innotuit, neq; ab omnibus visus Iudæis, sed testibus tãtùm, vt ait D. Petrus Actuum 10. præordinatis à Deo. Et Christi similiter natiuitas non omnibus fuit nota: sed Regibus tribus, & Pastoribus. Transfiguratio similiter, coram tribus tantùm Apostolis, vt Matth. 2, & Lucæ 2. Et Eucharistiæ Sacramentum, maximum fidei nostræ mysterium, coram duodecim tantùm Apostolis instituit, & celebrauit, Matth. 26. & Marci 14. ac Lucæ 22. Spiritus item sanctus in discipulos tantùm, ianuis clausis descendit, non coram toto populo, vt Actuum 1. & 2. Idem etiam Christus Dominus noster (vt ad eius nos imitationem componeremus) in humilitate & subiectione per triginta annos latuit

Actuum 10.

Matthæi 2. *Lucæ 2.*

Matth. 26. *Marci 14.* *Lucæ 22.*

Actuũ 1. & 2.

tuit hominibus ignotus, Deus & homo. Et Chriſti incarnatio, ineffabile myſterium, inter Deum, Angelum, & Virginem tantùm peractū, Lucæ 1. vt cętera eius myſteria, & pleraq; alia diuina eius facta omittamus, quæ ſecretiora eſſe voluit. Tandē hoc ipſum Saluator noſter Matt. 7. nos docuit, cùm inquit: Nolite ſanctū dare canibus, & margaritas nolite proijcere ante porcos. Nam profectò in vniuerſo paſſim populo, canes eſſe aliquot, id eſt, infideles, & hæreticos, qui ſuis moribus Eccleſiam lacerēt; & eſſe porcos, ſcilicet fideles quidē, ſed malis moribus præditos, & ſeruientes ventri, qui ſuis pedibus, id eſt, peccatis, & blaſphemijs, margaritas, quæ fidei ſunt myſteria, conculcent, neceſſe eſt. Deniq; ipſa diuina myſteria, quia diuina ſunt, & quia ſacra, hoc ſuapte natura poſtulant, vt non paſſim, & ſine diſcrimine euulgentur; ſed perſonarū habito delectu, & vt ſecretò fiant, & ſecreta ſeruentur, non verò palàm pateāt omnibus. Adde ipſum myſterij nomen, quod arcani quiddam præ ſe fert, ſi

Lucæ 1.

Matthæi 7.

XXX. *Ex ipſius naturæ myſterij, tum rei, tum nominis ratione et Etymologia conuincitur.*

eius Etymologiam ſpectemus: eſt enim Myſterium Græcè idem, quod ſacrum ſecretum, ſeu arcanum ſecretum Latinè. Myſteria itaque diuina paſſim euulgata, myſteria non dicerentur. Cùm igitur nil tam ſanctum, tamque diuinum, nullum maius myſterium, aut auguſtius, ac Miſſę ſacroſanctum ſacrificium ſit; vbi verus Deus & homo, Chriſtus Ieſus cõtinetur, & incruentè immolatur, ac pro nobis per manus Sacerdotum ipſi Deo patri omnipotenti offertur; & tale ſit, vt ſi quid non prophanandum, ſed omni via & ratione in Chriſtiana religione venerandum, hoc videatur maximè: meritò quidem vulgari ſermone non erit vertendum, nec in ea celebrandum: cùm id non ſolùm non deceat, ſed dedeceat maximè, & Chriſti factis, Apoſtolorum, & Sanctorum dictis, ac naturali rationi ſit contrarium, vt oſtendimus.

Quòd nullo pacto eſt permittendum, nec concedendum, vt ſacrum fiat vulgari lingua; ſed neque vlla alia circa religionem hæretica petitio eis concedenda ſit.

CAPVT

CAPVT XXIII.

SEquitur TERTIVM, eorũ, quæ initio libri ꝓpoſuimus, nempe non eſſe concedendum petentibus, aut permittendum, vt ſacrificiũ Miſſæ, vel diuina officia, vulgari paſsĩm lingua celebrẽtur, & quidem de omnibus alijs, circa religionẽ & fidem, in quibus hæretici aliquid innouari aut abrogari poſtulant, neque enim audiendi, aut quicquam eis permittendum, vt ſequentibus capitibus docebimus. Ac primũ, aduerſus hos no 1.
ſtræ ætatis nouatores religionis hoc dicimus: Etiam ſi mutatio aliqua linguę, aut verſionis vulgaris Miſſæ fieri deberet, tamen id non niſi per ſummi Pontificis authoritatẽ, & reliquas Eccleſiæ poteſtates fieri deberet: ad quos ſpectat videre, nũ id expediat, aut deceat, nécne, & quo modo, quáve ratione. At noſtri hæretici, poteſtate ſibi cõtra ius ꝑ phas & nephas vſurpata, ſuo malè ſano abundãt iudicio: ac nõ ſolũ in ſingulis regionibus, ſed ſingulis ciuitatibus, & oppidulis ipſi priuati ac ſeculares ſtatuũt; & rationẽ, & mo-

Si vlla mutatio fieri deberet, ea deberet fieri, per ſummum Eccleſiæ Pontificem, & reliquas Eccleſiaſticas poteſtates, non verò per priuatos, vel per ſeculares.

 dum

dum ſacrorum vertunt,& inuertunt, pro cuiuſq; ſenſu & libidine, nullius legitimę Eccleſię poteſtatis expectato iudicio, aut vlla eius habita ratione. Et hęc illi: Nos aũt contẽdimus & diſputamus, nõ ſolũ hos, qui ſunt extra Eccleſiam, facere nõ debuiſſe; ſed neque ab alijs hoc eis cõcedi, aut permitti vllo modo oportere.

II. *Quod non expedit, nec decet, concedendum non eſt.*

Primò, ſi non expedit, neq; decet, vt tot rationibus eſt oſtenſum, haud dubiè non eſt cõcedendum. Vnde quanuis aliquis bono animo ſe id petere dicat, & proprię deuotionis, ac vtilitatis gratia poſtulare confingat: facilè reſpõderi poteſt, illud Saluatoris Matt. 10. Neſcitis quid petatis: & eſſe eã fallacem deuotionẽ, & zelum non ſecundum ſcientiam, aut potiùs diuiſionis eum eſſe ſpiritum & erroris.

Hæc petitio eſt fallacis zeli, ſpiritus diuiſionis, & erroris petitio

III. *Radix huius petitionis eſt hæreſis, & ideo non concedenda.*

Præterea concedendũ non eſt. Cur ita? quia radix huius petitionis eſt hæreſis, ea enim de cauſa iſti ad petendũ mouẽtur, quia videlicet interiori hæreſi laborant, qua putant id neceſſariũ eſſe, vel ita debere fieri, vel potiùs ſic expedire, & malè fieri & nõ licere con-

tra-

trariũ. Quare cùm ex cauſa hæretica,
& hæreticè petãt,nullo pacto audien-
di. Ac quidẽ noti ſatis ſunt, qui hęc pe
tunt, nempe magna ex parte, aut Lu-
therani omnes, aut Zuingliani, ſiue
Caluiniani,cũ cæteris Sacramẽtarijs,
aut Pikardi,aut Anabaptiſtæ,aut noui
Arriani, & ſimilis farinæ homines: vt
liceat facilè conie̅ctare, ex qua cauſa,
hęreſi videlicet, qua laborant,petant.
Rurſus non eſt concedẽdum. Cur ita? IIII.
quia animo pariter cũ hæreſi ab vni-
one religionis alieno,& ab Eccleſię v-
nitate omnino auerſo,id petunt, vt vi-
delicet ſchiſmata & diuiſionẽ in Ec-
cleſiam inducant, cum qua nolunt V.
conuenire: & ideo hoc vnum valde
ſolicitè curant, vt has, & quaſcunque
alias poſſunt, in Eccleſiam inducant
diſciſſiones. Ampliùs non eſt hoc
concedendum. Cur ita? quia hæc pe-
tunt ex malitia, & odio, vt Eccleſi-
am vexent,vt ita vel ignorãtię,vel er-
roris, vel culpæ eam poſſint arguere.
Eſt nãq; antiquus hęreticorũ mos his
ſimilia fraudulenter petere,vt de ipſa

Cauſa eſt ſimul cũ hæreſi, animus ab vnitate religionis & Eccleſiæ alienus.

Hæc petũt ex malitia & odio, vt Eccleſiã redarguant, et cõuincant, vel ignorantiæ, quòd neſcierit: vel ſocordiæ quòd non antea ſic fecerit: vel crudelitatis, quòd nõ concedat, ſi neget

 Ec-

Ecclesia conquerātur, & reprehensionis occasionem possint contra summas Ecclesiæ potestates apud populū inuenire, hoc, inquā, schemate, & ratione, seu potiùs actione malitiæ cornuta armati capere eā valeāt, vt olim Christum Pharisæi. Aut enim hoc Ecclesia eis concedit, quod postulāt, aut non. Si nolit cōcedere; iam tanquam crudelissimam matrē seu nouercam eā accusant, quòd filios ita cōtemnat, vt ob rem non ita grauem, quin leuissimam, nulliusque momenti, vt aiunt, vel certè talem, quæ concedi posset, illos à se separari permittat, nec ad vnionem recipiat. Sin concedat; tunc petulanter se solent gloriantes iactare, & exclamare, sua opera resipuisse tandem Ecclesiam; hactenus in errorum tenebris iacuisse sepultam, ipsos eam à tanto errore liberasse; hactenus desidiæ & ignauiæ deditam, torpuisse; & ignorantiæ caligine circunseptam illos sua tandem doctrina, & diligentia illuminasse, & per ipsos deniq; factam esse doctiorem, sicut nūc etiam permisso illis vsu Calicis, ex Superio-

rum

rũ paterna erga eos indulgentia conuersionem eorum ſperantium, impudenter iactant Eccleſiiam iam reſipuiſſe in vno articulo.

VI. Itaque ſi non concedit, crudelitatis & impietatis reprehendunt, ac diuiſionis. Si concedit, aut ignorantiæ, ſi neſciuit; aut malitiæ, vel negligentiæ, & ſocordiæ, ſi ſciuit, nec fecit. Tales ergo eſſe ſolent iſtæ hæreticorum fallaciæ, & vnionis, quam minimè optant, vafrępetitiones.

VII. Iam verò ſi hæretici vnionem cum Eccleſia deſiderarent, non ſeipſos hac de cauſa ſepararent, & ob rem ita leuẽ, vt ipſi volunt, non ab illa ſeſe ſciungerent. Deinde, quod maioris eſt momenti, in alijs rebus grauioribus cum eadem Eccleſia (quod tamen non faciunt) vltrò conſentirent. Sed cùm non ita faciant, planè fictum eorum animum oſtendunt.

Si vnionẽ deſiderarent, vt falsò iactant, non ſe ob hæc ab Eccleſia ſepararent.

VIII. Præterea aut id petunt Catholici, aut hæretici: Non Catholici, quia hi in Eccleſiæ vſu acquieſcunt: ergo hæretici. At hi indigni, quibus concedatur priùs, quàm ab hæreſi reſipiſcant. Re-

Si Catholici ſunt, nõ id petunt. Si hæretici, non ſunt digni, quibus

cõcedatur, & recedãt priùs ab hæresi, si volũt cõcedi.

deant enim; tum deliberabitur de re, quæ sub dispensationem cadit. Quanquam quid sibi vult hæc petitio, cùm vltrò, sine vllius permissione, aut concessione, sic agant? nõ ergo indigent eiusmodi concessione.

IX.

Si confitentur Pontificis potestatem, ei obediant: Si eã negant, quid ab eo petunt?

Item aut sunt schismatici, & inobedientes Ecclesię Catholicę, & summo Pontifici, eius potestatem negantes, qui hoc petunt: vel sunt obedientes, & eius potestatem agnoscũt. Si agnoscunt quidem potestatem, nil debent immutare, sed obedire eos oportet; cur ergo non obediunt? Si non agnoscunt, frustra petunt ab eo, qui ex eorum sententia potestate caret.

X.

Hoc nihil aliud esset, quã hæreticos in hæresi confirmare: Catholicos tristitia, & dolore afficere: dubios in errorem impellere.

Denique istis omnibus id concedere, id est, hæreticis vel schismaticis, nil aliud est, quàm illos in eorum hæresi, qua persuasi petunt, confirmare, & illos magis obdurare: Hos verò, scilicet Catholicos, tristitia & dolore afficere, & eorum vires imminuere, ac animũ deijcere: Medios aũt inter vtrosq;, dubios scilicet ac debiles in fide, in errorẽ impellere, ac deturbare, vel dubios magis & ancipites reddere.

Vt

Vt interim omittamus, quòd ex superbia, æmulatione quoque, & pertinaci contentione hæc petitio oriri videatur. quasi tacito sensu se digniores putent huiusmodi recentiores hæretici, in quorum diuersis linguis hæc omnia tradi debeant: nō minùs, quàm aut olim Latini, aut Græci. quasi hîc de honore certetur linguæ, vel nationū, & æquales esse velint, & proprium hac via honorem tueri, augere, & amplificari cupiāt, quod in nationis propriæ dignitatem cedat: sic religione sacrilegè abutentes, ad propriam existimationem & laudem, ex animi elatione ac tumore.

XI. Hæc petitio oritur ex superbia, æmulatione, et pertinaci animi contentione.

Quòd Ecclesia, Concilia, & Pontifices non consueuerunt permißionibus, sed contrarijs constitutionibus mederi hæresibus.

CAPVT XXIIII.

VLtimò tandem ostendamus, quòd Ecclesia, Concilia, & Sancti nō consueuerūt permissionibus mederi hæresibus, sed contrarijs constitutionibus.

Non quæ hæretici volunt, vel petunt, sed contrariū est faciendū.

Etiā quæ licita aliàs erant, Ecclesia sæpe prohibuit, vt hæresi ex diametro se opponeret.

Non, inquā, vt quod ipsi hæretici vellent, ac peterent, id eis permitterent libenter, atque concederent; sed potiùs contrariam, ac omnino ex diametro pugnantem sententiam constituerent, ita vt interim, quæ erant licita, & diuino eloquio esse possent consentanea, ob hæresis ambiguitatem, rigidè tamen prohiberent, ne scilicet hæreticis vlla ex parte assentiri viderentur. Exempla huius rei quàm plurima habemus, quæ hîc referre fusiùs libuit: vt nō solùm hanc Missam vulgarem, sed nec alia peiora, quę petunt, contra cœlibatum Sacerdotū, & Monachorum, vel circa Sacramenti Eucharistiæ, aliorúmve veritatem, vsum, & ritum, aut Ecclesiæ Catholicę consuetudines, & mores vlla ratione cōcedantur, aut permittantur. Atque vt ab initio nascentis Ecclesiæ exordiū

1. Sabbathū in Dominicam commutauit Ecclesia, ne Iudaizare videretur.

D. Hierony.

sumamus, Primò, Apostolorū authoritate, ne cōmunicare cū Iudęis Christiani viderentur, Sabbathi loco Dominicus dies, vt sanctificaretur, cōstitutus est, vt ait D. Hieron. sermone de Dominica die Paschæ, qui inter eius opera

opera circũfertur, & D. Augustinus D. Augustin.
contra Faustum lib. 19. & id olim fuerat prophetatum Oseæ 2. Cessare debere festa Iudęorum Neomeniam & Sabbathum &c. & D. Paulus Sabbathum abrogatũ, & in figura pręcessisse ait in Epistola ad Colossen. cap. 2. Coloss. 2.
& ad Hebræos 4. Nemo, inquit, vos Heb. 4.
iudicet in parte Neomeniæ, aut Sabbathorũ, quæ sunt vmbra futurorũ, &c. & habere ait Sabbathismum suum populum Dei. Cùm tamen scriptura diceret, Sabbatha sanctifices, Exodi 20.
Exodi 20. non diem Dominicum: Sic autem meritò statuerunt, ne cum Iudæis conuenire, & communicare videremur.

Sic eorũdem authoritate tempus 11
Paschatis constitutum est, ex eadem causa ab ipsis Apostolis à Iudæis diuersum. Sic enim statuerunt can. 8. vt si quis ante vernale æquinoctium, sanctum Paschę diem cum Iudæis celebraret Episcopus aut Presbyter, vt abijceretur. Sic, inquam, statuunt, ne religionis cultu cùm Iudæis conuenire quoq; viderẽtur, & legẽ seruare. Pasche tẽpus aliud à Iudæis statuerunt Apostoli, ne Iudaizare viderentur. Can. Apost. 8

III.
Quàdiu durauit Sacerdotium Iudæorũ, dicti presbyteri Ecclesiæ: postea illo cessante, dicti Sacerdotes sunt, ne vel in nomine conuenirent cum Iudæis.

Quin & illud obseruatum est, quàm diu durabat Sacerdotium Iudæorum, vt qui ministri reconciliationis temporibus Apostolorum sacerdotali officio fungebantur, non Sacerdotes, sed Presbyteri vocarentur: Adeò ne nomine quidem appellari Christianorum, quo Iudæorum Sacerdotes, dignabantur: qua cessante causa, rursus Sacerdotis nomen resumpserunt.

IIII.
Contra Manichæos asserentes exangue Christi corpus, & non verum, Ecclesia statuit quandã communionẽ sub vtraq;: postea hæresi cessante, rediijt ad vnam.
S.Leo.
Gelasius Papa.

Item cùm Manichæi Saluatoris nostri corpus negarent esse verum, & ideo exangue crederẽt, ac proinde sub vna tantùm specie communicarẽt; Leo primus circa annum Domini 444. plùs minùs, in Sermon. 4. de Quadragesima, & in quodam eius decreto, atque etiam Gelasius Papa in decreto altero, constituerunt, vt omnes sub vtraq; specie cõmunicarent: at verò cessante hæresi Ecclesia ad pristinum morem rediijt.

V.
Contra Nestorium negantem Dei ma.

Item Nestorius Beatam Virginem

nem negauit esse Dei matrem; concedebat tamē matrem Christi esse, nō Θεοτόκον, sed χριστοτόκον. At Concilium Ephesinum sub anathemate iussit, ne Christi mater appellaretur, sed mater Dei: non quòd hoc quoq; nomen illi rectè tribui non possit, sed quòd obuiandum errori Patres putauerint, quo purum hominē Christum, non autem Deum & hominem Mariam peperisse Nestorius contendebat. At verò Nestorius clamitabat, vt nostri Lutherani & alij hæretici hodie, contra verbum Dei id esse: quòd matrem IESV vocari Mariam Virginem legeremus in Euangelio, matrem DEI vocari, nusquam in scripturis reperiatur. At obtinuit Concilium, ita vt postea apud omnes nationes sic fuerit receptum, vt vix vlla sit, quæ non DEI matrem potiùs, quàm CHRISTI matrem, appellet.

trem dici debere, sed Christi matrem: quòd hoc in Euangelio, illud verò nō contineretur: Concilium contrarium statuit, ac dedit Anathema ei, qui vocaret Christi matrem, cùm tamē hoc in Euangelio reperiatur.

Concilium Ephesinum.

Præ-

VI. *Cōtra Hebionitarū hæresim de legalib⁹, Ecclesia præcepit in fermentato cōsecrari: postea hæresi cessante rediit ad azymum.*

Præterea, cùm Hebionitarum hæresis inualesceret de legalibus cum Euangelio seruandis, & negarent posse in fermentato confici, eo quòd omnis oblatio, quæ offertur Domino, secundum legem sit sine fermento: non dissimulauit hîc Ecclesia, sed contrarium præcepit, vt in fermentato pane sacra conficeretur Eucharistia, cùm res tamen alioqui esset ad Sacramenti veritatem indifferēs siue in azymo, siue in pane celebrarent.

VII. *Contra hæreticos quosdam baptizantes vna sola mersione, quòd malè sentirent de Trinitate, Apostoli trinā mersionem præceperunt.*

Rursus initio nascentis Ecclesię quidam de Trinitate malè sentiebant, Christum purum hominem existimātes; nec filium Dei dici & Deum, nisi ob meritum ipsius, & quidē præcipuè in morte; ideoque non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemoratione mortis CHRISTI, & vna immersione. Atque ideo ad auferendun hunc errorem in can. Apostolorum 49. sic præcipitur ab Apostolis, & habetur de con-

Can. Apostolorum 49. de consecr. dist. 4. can. Si quis.

consecrat. distin. 4. can. Si quis Presbyter aut Episcopus non trinam mersionem vnius mysterij celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari à quibusdam dicitur in morte Domini, deponatur. Non enim dixit Dominus nobis, in morte mea baptizate, sed in nomine patris, & filij, & spiritus sancti.

VIII. *Contra hæreticos rebaptizantes, Concilium è diuerso præcepit vnã solam mersionem.*

Postea verò inoleuit error quorundam schismaticorum & hæreticorum, homines rebaptizantium, vt de Donatistis narrat D. Augustinus super Ioannẽ: atq; ideo in detestationem erroris illorum fuit contrarium statutum in Concilio Toletano IIII. cap. 5. vt videlicet fieret vna sola immersio, vbi sic ait: Propter vitandum schismatis scãdalum, vel hæretici dogmatis vsum, simplã teneamus Baptismi immersionẽ. Quod quidem etiam authoritate Gregorij Magni factum est lib. 1. Epistola 41. in registro.

Concilium Toletanum 4.

D. Gregorius.

Item

IX. *Contra hæreticos ieiunantes die Dominica, & die Sabbathi, Ecclesia ieiuniū eis diebus prohibuit. D. Ignatius.*

Item quidam, quos postea sequuti sunt Manichæi, die Dominico, & die Sabbathi ieiunandum esse ducebant. At D. Ignatius in Epistola ad Philippēses, quæ est quarta in ordine, illorum refellens errorem scribit, interfectores esse Christi, qui ieiunāt die Dominico, vel die Sabbathi: cùm tamen licitè & cum merito hæc alioquin, & ex deuotione fieri possent, atque hodie etiam ex præcepto rectè ieiunamus Sabbato. & de die Dominica idem vetat Melchiades Papa & martyr circa annum 312. & habetur de consecratione dist. 3. can. Ieiunium Dominici.

Melchiades Papa. De consecrat. dist. 3. can. Ieiunium Dominici.

X. *Contra Iudaizantes seruantes Sabbathū, & in eo nō esse abstinendum asserentes, Ecclesia contrarium statuit, scilicet in eo ieiunandum, nec obseruandum. Conciliū Laodicen. D. Gregorius.*

Rursus contrà, cùm quidam Iudæi legem nouam cum veteri pariter coniungendam arbitrantes, diem Sabbathi obseruādum, & non esse in eo abstinendum dicerent; tunc Concilium Laodicense in Phrygia celebratum cap. 29. & Gregorius quoque dilectissimis ciuibus Romæ, & habetur

beturde consec. dist.3. can. Peruenit. statuit, Sabbathum non esse obseruandum, quòd id esset Iudaizare. Innocentius quoque Papa, & habetur de consecr. dist. 3. can. Sabbatho. huic etiam errori remedium adhibere volens, affirmat Iudaismi notam subire eos, qui die Sabbathi non ieiunarent; sed ieiunandum esse Sabbatho, & non seruandum asserit quoque D. Augustinus, & habetur dist. 12. can. Illa. & contra Faustum lib. 19. & Epistola 86. ad Cassulanum, & Leo Papa IIII. de consecrat. dist. 3. can. De esu carnium. & plerique alij Ecclesiæ Doctores. A Ioanne quoque Chrysostomo grauiter eos reprehensos esse legimus, qui ijsdem ieiunassent diebus, quibus Iudęi solenniter ieiunabāt, Tom. I. homilia contra Anomęos I. Et Canone Apostolorum 69. idem prohibetur, ne quis cum Iudæis festa, vel dies ieiuniorum obseruaret.

De consec. dist. 3.

Innocentius Papa. De consecr. dist. 3. can. Sabbatho.

D. *Augustinus. Distin. 12. can. Illa.*

D. *Augustinus.*

Leo Papa IIII. De consecr. dist. 3. can. De esu.

D. *Chrysostomus.*

can. Apostolorum.

Sic

XI.

Contra Arrianos negantes sanctã Trinitatem, scilicet filij consubstantialitatẽ, facti sunt hymni de sancta Trinitate.

Sic etiam contra errorem Arrianorum, & aliorum derogantium personę, filij, aut spiritus sancti, olim facti sunt hymni de sancta Trinitate, quales sunt Ambrosiani, & cantabantur in populis per Ecclesiam Catholicam.

XII.

Contra eundem Arrianorum errorẽ, in Ecclesia præceptum fuit cantari, Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.

Damasus Papa.

D. Hieronymus.

D. Augustinus.

Sic Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sanctus Damasus Papa consilio D. Hieronymi cantari præcepit in fine Psalmorum, ob eandem causam: vt fidẽ Trinitatis palàm contra Arrianos sępius in Ecclesia profiteretur. atq; id petijt, vt fieret, D. Hieronymus Epistola ad ipsum Damasum, quę inter eius Epistolas circunfertur. Ac similiter fecit D. Augustinus contra schisma Donatistarum, Psalmũ rhythmo facili componens, sermone Latino, vt decantaretur à simplicibus, & intelligeretur ab infima plebe.

XIII.

Omnes mortis species potiùs patiendæ sunt, quàm vel vna syllaba de diuinis

Præclarè D. Basilius per legatos ab Imperatore requisitus, ne propter paruam doctrinam dogmatis perturbari sineret Ecclesias,

clesias, respōdit: Qui diuinis enutriti sunt eloquijs, corrumpere de diuinis dogmatibus, ne vnam quidem syllabam patiuntur: sed pro his, si contingat, omnes mortis species amplectuntur.

dogmatibus auferri permittatur.
D. Basilius.

XIIII.
Symbolum Nicenum conscriptum à Patribus, & decantari preceptum contra Arrianos.
Concil. Nicenum.

Denique, vt vno verbo rem totam complectamur, quænam, obsecro, ratio, quódve consilium sanctissimos illos Patres in Nicena Synodo cōgregatos ad Symbolum contra Arrianos conscribendum impulit, quod per vniuersum orbem publicè decantaretur, nisi vt Ecclesia cōtrarium semper, & constanter agendo, & sæpius profitendo potiùs, quàm indulgendo, præsentaneum antidotum Arrianæ hæresi adhiberent? Certū igitur ac firmum sit, nullo pacto expedire, vt sacrum, diuinaque officia, vulgari lingua passim celebrentur, neque id esse vlla ratione permittendum, aut concedendum.

XV.
Quæ semel à cōcilio definita sunt, nō de-

Iam verò cùm hoc ipsum, vt ostēdimus, generali Concilio de-

bent iterum retractari, aut mutari. finitum sit, atque prohibitũ; nulla ratione id debet retractari, aut mutari. Vnde Gelasius Papa, & habetur 24.q.1.c. Maiores.sic ait: Maiores nostri diuina inspiratione cernentes necessariò præcauerunt, vt quod contra vnamquamque hæresim coacta semel Synodus, pro fide, communione, & veritate Catholica atq; Apostolica promulgasset, non sinerent nouis posthac retractationibus mutilari: ne prauis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi &c. Sed & Martianus Imperator in suo edicto in Concilio Chalcedonensi actione 3. ait, Iniuriam facit iudicio religiosissimæ Synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contendit.

Gelasius Papa. 24.q.1. can. Maiores.

XVI. Vides igitur quid in huiusmodi ritibus Patres nostri secuti potissimùm fuerint, duo nimirum: Vnum, vt ne quid Christiani vel cum Iudæis, vel cum hæreticis com-

Hæc duo semper Patres sequuti sunt: alterum, ne cum Iudæis, vel cum hæreticis conuenirent: alterum, vt in fide,

mune haberent: Alterum, quod à ſanctiſſimo Leone Epiſtola 4. cap.2. ſcriptum eſt, vt vnitas in fide, religione, & Dei cultu apud omnes ſeruaretur. Sic ergo ait: Non aliter grex & vnus paſtor ſumus, quàm ſi, quod iterum atque iterum monet Apoſtolus, id ipſum dicamus omnes; ſi perfecti ſimus in eodem ſenſu, & in eadem ſententia; ſi religionem, ſi ritus etiam eoſdem obſeruemus. Nunc verò iſti, vt rectè dixit vir doctiſſimus Cardinalis Hoſius dialogo de ſacro vernaculè legendo, propter duas contrarias cauſas, veteres ritus mutatos cupiũt. Primùm, vt cum hæreticis potiùs, quàm cum ſanctis Patribus noſtris Catholicis, & orthodoxis cõmunicare videãtur. Deinde, vt ab orbe reliquo Chriſtiano ſe diuidant, atq; ita Eccleſiã in partes diſcerpãt. terribilis eſt hęc ſathanę caſtrorum acies inordinata. Nam vt nihil ſit in ipſis rebus, q̃ petuntur, mali; tamen in ſeparatione

religione, & ritibus vnitas ſeruaretur.

S. Leo.

XVII.

Propter duo alia contraria cupiunt mutare veteres ritus: vt conueniant cum hæreticis, & vt Eccleſiæ vnitatem diſſoluant.

Vel ſola hæc ab Eccleſia ſeparatio, & diuiſio, maximum eſt malum.

tantum est mali, nihil vt fieri possit perniciosius: cùm principium separationis, quàm finem reperiri multò sit facilius. Deinde verò vix vllum est crimen, quod ab hoc non multis modis superetur.

Conclusio. Nulla ergo ratione, nulla via his concedenda sunt, quæ petũt, vel permittenda; nec Missa vulgaris, nec officia diuina, nec impuritas hæresis, nec religionis libertas, nec neutralitas, nec Clericorum coniugium, ac multò minùs Monachorum; nec in vllius denique Sacramenti vsu vel ritu, aut in vlla Ecclesiæ Catholicæ cõsuetudine, vel traditione, vel ceremonia etiam minima mutatio: nisi quis velit Ecclesiæ lumina, antiquos Patres, & sacros Doctores, & vniuersa penè celeberrima Concilia condemnare, qui omnes, vt vidimus, summa vsi sapientia & consilio, contrario prorsus modo se gesserũt. ac de his hactenus. Ostendimus ergo ex sacris literis, Patrum testimonijs, & rationib⁹, primò, Errorem esse asserere, sacrum Missæ, aut diuina officia, aut orationẽ publi-

publicam Ecclesiæ, non licere aliter fieri, quàm lingua vulgari; vel id magis expedire, aut ita decere, vel debere fieri; esseque hunc errorem perpetuæ Ecclesiæ, & Apostolicæ traditioni repugnantē. Deinde esse id incommodissimum, & indecentissimum: Cōtrarium verò morem Ecclesię esse non solùm vtilissimum, sed dignitate, pietate, & decentia plenum. Atq; adeò contrarium nulla ratione esse aliquibus concedendum, vel permittendum. Iam ipsa hæreticorum argumenta proferenda, & eadē erunt confutanda.

Obiectiones Lutheranorum, & aliorum hæreticorum, earúmque confutationes.

A testimonijs scripturarum. CAPVT XXV.

Obijciunt hęretici 1. ad Corin. 14. D. Paulus reprehendens eos, qui linguis loquebātur in Ecclesia, cùm non intelligerentur, inter alia sic dicit: Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod ci- *1. Testimoniū 1. Cor. 14.*

 tha-

tharizatur? Etenim ſi incertā det vocem tuba, quis parabit ſe ad bellum? Ita & vos per linguam niſi manifeſtū ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes. Tam multa, vt puta, genera linguarum ſunt in hoc mūdo, & nihil ſine voce eſt. Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei cui loquar barbarus, & qui loquitur, mihi barbarus. Et paucis interiectis, Nam ſi orem lingua, (inqt) ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt. Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente: Pſallā ſpiritu, pſallam & mente. Cæterùm ſi benedixeris ſpiritu, quis ſupplet locum idiotæ? Quomodo dicet Amen, ſuper tuā benedictionē? quoniam quid dicas, neſcit. nam tu quidē benè gratias agis, ſed alter non ædificatur.

1 Ecce, ait Hæreticus, hîc D. Paulus manifeſtè prohibere videtur, ne in Eccleſia loquantur ea lingua, quæ non intelligatur: quia lingua quidem orat, ſed mens ſine fructu eſt: & quia qui ſupplet locum idiotæ, non poſſet

dicere

dicere Amen, ſuper tuam benedictionem, neque ipſe populus: & quia erunt veluti in aera loquentes &c. Notat Caluinus in eundem locum ſcribens, publicas orationes alia, q̃ vulgari lingua, fieri non licere: nec quenquam eius participare fructum, niſi linguam intelligat.

Adde teſtimonium Diui Chryſoſtomi in hunc quoque locum, 1. ad Corinth. 14. homil. 35. Non leue, inquit, incommodum eſt, ſi Amen plebeius dicere non poſſit. 2.

Et gloſſa interlinearis, Quomodo, ait, tu qui lingua loqueris ſupples locum idiotæ, ſcilicet, vt Eccleſiæ miniſter illum ædificans? quoniã quod dicas neſcit: & quomodo idiota ipſe reſpondebit Amen, ſuper tuam benedictionem; ſi quidem nec, ſi multùm intentus ſit, te intelligit. 3.

Inſuper vrgent ad Romanos 10. vbi ait D. Paulus: Fides ex auditu, auditus per verbum Chriſti. At ſi nõ intelligunt verbum, perinde eſt, ac ſi non audiant: nec hoc pacto in fide 2. teſtimoniũ. Ad Roma. 10.

erudientur, neq; eorum fides ex auditu confirmabitur, aut augebitur, aut conseruabitur. Ergo opus est, vt vulgari sermone omnia tradantur.

3. Testimoniũ. Isaiæ 29. Præterea Isaiæ 29. Deus conqueritur, hunc orandi modum reprehendens populi Iudęorum, sic dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. quod etiã citauit & confirmauit Saluator, Matthæi 15. Oportet ergo populus corde intelligat, quæ labijs profert.

Responsio ad Testimonia scripturæ.

Ac primò, quòd ille locus 1. ad Corinth. 14. non intelligatur de officijs diuinis, aut Missæ celebratione, sed de donis linguarum, Prophetiæ &c. ostenditur ex ipso D. Paulo, & sacrorum Doctorum testimonijs.

CAPVT XXVI.

RESpõdeamus ergo iam nos ordine ad singula. Et primò de sensu illius loci 1. ad Corinth. 14. videamus. Deinde multa ex illo contra aduersarios veritatis colligemus. Postea respondebimus ad reliqua.

Ad

Ad illud ergo 1. Corinth. 14. dicimus, eo loco Apostolum non de oratione solenni Ecclesiæ agere, aut diuinis officijs, aut Missæ sacrificio, sed de dono linguarum, quod multi Corinthij habebāt, vt textus ipse perspicuè ostendit; quo eos vti Apostolus vult ad Ecclesiæ ædificationem, videlicet, ne publicè loquantur linguis in Ecclesia, nisi sit, qui interpretetur, vt omnes ędificationem accipiāt. Aliud autem est de Ecclesiæ sacrificio, & oratione solenni iudicium, in quibus multa debent propter mysterium occulta esse: ac non nisi ea in vulgus propalari, quæ sine prophanatione diuinorum, & temeraria publicatione, ipsum ædificēt, & propter plurima & maxima incommoda superiùs allata, quæ ex contrario prouenirent.

1. Non agit illic D. Paulus de officijs diuinis, vel Missa celebratione, sed de donis linguarum et prophetiæ, ac earum vsu. probatur ex ipso D. Paulo

Quòd autem de dono linguarum, & eius abusu in Ecclesia, loquatur D. Paulus eo loco, paucis ostendamus tum ex ipso D. Paulo in eodem loco, tum ex dictis sacrorum Doctorum, & eorum interpretatione.

Igitur paulò antè, videlicet cap. 12. *1. Cor. 12.*

de diuiſionibus donorum ſpiritus ſancti D. Paulus egerat, quomodo alij
» datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ,
» alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum
» eundem ſpiritum, alij gratia ſanitatū,
» alij operatio virtutum, alij prophetia,
» alij genera linguarum, alij interpre-
1.Corinth.13 tatio ſermonum &c. Et cap. deinde 13.
illa Dei dona comparat inter ſe,& vnū
» præ cæteris præfert, ſcilicet charita-
» tem, dicens: Si linguis hominum lo-
» quar & Angelorum, charitatem au-
» tem non habeam, factus ſum ſicut æs
» ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi
» habuero prophetiā, & nouerim my-
» ſteria omnia, & omnem ſcientiā, & ſi
» habuero omnem fidem, ita vt montes
» transferam, charitatem autem non
» habuero, nihil ſum. &c. Et tandem
ſuadet, vt æmulentur chariſmata meliora, ne falſa æſtimatione illorum Corinthij decepti minora perfectioribus præferrent. Et poſtea demum
1.Corint.14. cap. 14. agit de illorum donorum vſu, reprehēdens doni linguarum abuſum, quo confuſè tumultuabantur in Eccleſia, ſimul plures, & ſine interprete loquen-

loquentes. ac deinde ordinem tam in
eius vſu, quàm in prophetiæ dono, ac
cæteris donis conſtituit, vt omnia ad
ędificationem fiant, & in omnibus
decentia, & ordo ſeruetur. vnde ta-
lem poſt reprehenſionem abuſus præ-
ſcribit donorum eorum vſum & or-
dinem in Eccleſia, dicens: Quid er- “
go eſt fratres? id eſt, Quid faciendum “
in hac re? Reſpondet ſibi: Cùm con- “
uenitis, vnuſquiſque veſtrum pſal- “
mum habet, doctrinam habet, Apo- “
calypſim habet, linguam habet, in- “
terpretationem habet: omnia ad ædi- “
ficationem fiant. Siue lingua quis lo- “
quitur, ſecundum duos, aut multùm “
tres, & per partes, & vnus interprete- “
tur. Si autem non fuerit interpres, ta- “
ceat in Eccleſia, ſibi autem loquatur “
& Deo. Prophetæ autem duo aut “
tres dicant, & cæteri dijudicēt. Quòd “
ſi alij reuelatum fuerit ſedēti, prior ta- “
ceat. Poteſtis enim omnes per ſingu- “
los ꝓphetare; vt omnes diſcāt, & om- “
nes exhortētur. Et ſpiritus ꝓphetarū, “
prophetis ſubiectus eſt. Non enim eſt “
diſſen-

„ dissensionis Deus, sed pacis: sicut & in
„ omnibus Ecclesijs sanctorum doceo.
„ Mulieres in Ecclesijs taceant. &c. Et
„ tandem concludit in fine capitis di-
„ cens: Itaque, fratres, ęmulamini pro-
„ phetare, & loqui linguis nolite prohi-
„ bere. Omnia autem honestè, & secū-
„ dum ordinem fiant in vobis. Ex quibus manifestè constat, de donis eum linguarum agere, & cæteris spiritus sancti charismatibus, & eorum vsu debito in Ecclesia, abusu sublato.

II. Probatur idē ex sacrorum Doctorū interpretatione.

D. Ambrosi.

Accedunt deinde Doctorū sacrorū interpretationes, quæ manifestè conuincunt esse sermonem de dono linguarum, & alijs donis ad doctrinam populi & ædificationem. D. Ambrosius (secundū duos, aut multùm tres) Ne occuparent, inquit, diem linguis loquentes, & non haberent prophetæ tempus scripturas differendi, qui sunt totius Ecclesiæ illuminatores. hæc ille. Ergo linguæ erant, & non erant officia diuina ea, quæ pro libito protrahi poterant.

Haymo.

Expositio Haymonis illos ait fuisse Doctores, qui testimonijs confirmabant

bant res fidei: vnde ſi non fuerit interpres, taceat in Eccleſia, ſubaudi, doctor ille, qui habet linguam incognitam. Hæc Haymo. Ergo non erant officia diuina, ſed ad doctrinam pertinebant,& linguarum donum.

Expoſitio D.Hieronymi: (vt multùm tres,& per partes loquãtur) Hoc eſt, viciſſim interpretantes dicant: & vnus paulatim interpretetur. ſi autẽ non fuerit interpres, ſua conſcientia & Dei, teneat, cum hanc gratiam habere. Hæc D. Hieronymus. D. Hierony.

Et D. Ambroſius: (duo vel tres) Non plus linguis loquantur, nõ ſimul omnes, ne inſanire videantur. Hæc Ambroſius. Ergo nõ erant officia diuina illa,quæ dicebant. neque enim in officijs diuinis multi ſimul diuerſa loquũtur, alta voce, ſicut hîc reprehendit D. Paulus. Et quòd ſit vera expoſitio, patet ex litera, quæ ait: Si conuenerit vniuerſa Eccleſia in vnum, & loquãtur omnes linguis, & introeant idiotæ, nónne dicent, quia inſanitis? &c. Super quæ verba D. Ambroſius, Manifeſtum eſt, inquit, quia ſi omnes D.Ambroſi.

« « « «

D.Ambroſi.

diuer-

diuersis linguis loquantur, tumultus sit quidem inconditus populi, quasi phrenesim patientis.

Expositio glossæ interlinearis: (aut vt multū tres) Id est, Duo vel tres loquātur, (& per partes) id est, Ecclesię, vel vnus post alium, vel intercisè. Hæc ibi. Hęc aūt non obseruantur in officijs diuinis, sed in collocutionibus aliquorum inter se, vt & in locis diuersis separati, & vnus post alterum loquatur, & intercisè, concedentes videlicet sibi inuicem facultatem loquendi & ordinatè.

Magister Sententiarum. D. Anselmus. Expositio quoque Petri Lombardi Magistri Sententiarum, & D. Anselmi, sic habet: (loquantur secundum duos, aut multùm tres) scilicet in diuersis partibus Ecclesiæ. Consuetudo tunc erat, inquiūt, vt quando conueniebant in Ecclesia, vel in aliquo loco propter doctrinam, illi qui scientiam linguarum acceperant, loquerentur; & alij exponerent: & hoc fiebat in Ecclesia per cateruas: in vna parte Ecclesiæ erat quædam collectio, & in alia parte, alia: & vnaquæque

que pars ſuum habebat loquentem, & ſuum interpretem. Hæc illi.

Et hæc conſuetudo faciendi collationes probatur ab Euſebio, D. Hieronymo, & Caſſiano. Si quidem initio naſcentis Eccleſiæ ſimul conueniebant Chriſtiani ad colloquendum, & ſimul agēdum de rebus diuinis: quod indicāt planè illa verba D. Pauli. Cum
" conuenitis, inquit, in Eccleſiam, vnuſ-
" quiſque Apocalypſim habet, reuelati-
" onem habet, linguam habet, interpre-
" tationem habet: omnia ad ædificati-
" onem fiāt. Quo etiam pacto legimus olim conueniſſe Aegypti Monachos frequenter, vt de rebus diuinis inter ſe agerent. vbi colloquebantur inuicem, & prophetabāt, & nōnunquam etiam reuelationes proferebant: vt ex collationibus Patrū Caſſiani conſtat, & Vitis Patrum D. Hieronymi, *Caſſianus.* *Euſebius.* & Euſebij hiſtoria Eccleſiaſtica, ac ex *D. Hierony.* Philone. *Philo.* ſicut etiam nunc religioſi multi plerunque conueniunt, ſimili modo eoſdem illos antiquos Patres, & Monachos imitantes.

Intelligit ergo Diuus Paulus de ijs, qui

Iis, qui donũ linguarũ, & alia dona spiritus sancti acceperant, D. Paulus præscribit modum, cùm conueniebant, vt debitè illis vterentur.

qui donum linguarum acceperant, vel alia spiritus sancti dona; qui simul conuenientes in Ecclesia, & de rebus diuinis conferentes, pro libito loquebantur linguis, recitabant hymnos, prophetabant, interpretabantur, &c. Sic etiam glossa interlinearis & ordinaria pluribus locis in eodem capite. D. Chrysostomus homilia 35. in idem caput 14. primæ ad Corinth. sępissimè ait, ibi D. Paulum loqui de donis linguarum. Idem ait Theophylactus, & Oecumenius, & Theodoretus, quos ob prolixitatem vitandam indicasse sit satis. Nonnunquam etiam hoc linguarum dono vnus aduersus alterum intumescebat; atque ita hoc donum errantes alijs vtilioribus & prętantioribus præponebant: quod annotauit

D. Chrysost. idem D. Chrysostomus in caput 12. & 14. illius Epistolæ prioris ad Corinthi-

D. Ambrosi. os. Addit etiam D. Ambrosius, quosdam ex Hebræis, vt se iactarent esse ex stirpe Abrahæ, & vt alijs doctiores viderentur, in oblationibus & tractatibus vsos esse solitos lingua Hebræa. Igitur in his ordinẽ præscribit D. Paulus:

lus: vt is, qui loquitur linguis, secundum duos, aut vt multùm tres, & vnus interpretetur. quòd si non sit interpres, taceat in Ecclesia. Atque id quidẽ meritò sanxit, cùm frustra priuato sensu & lingua ignota corã alijs loqueretur, aut apud eos, à quibus nõ intelligebatur, verba facere vellet.

III. *Probatur idẽ ratione. Non potest intelligi ea prohibitio D. Pauli de publico Ecclesiæ cultu, et publicis diuinis officijs.*

Atque hæc ex sacris Doctoribus: sed ratione etiam probatur, non intelligere de publico ministrorum Ecclesiæ cultu, & officio, de publicis, inquam, & statutis diuinis officijs, & sacris: quæ certa & eadem per singulos dies, mẽses, & annos ab Ecclesia fiunt. Nã hæc nõ pro libito cuiusq; fiũt, aut ꝑcuiusq; arbitrio, vel volũtate, quemadmodũ constat illic Corinthios egisse. Rursus quia iubet, vt cùm quis interpretatus ea fuerit, quæ lingua quis dixerit, vel prophetauerit, cęteri dijudicent, ij scilicet, qui à Deo habent discretionem spirituum, quos ibi etiam prophetas vocat. Et si reijcienda viderint, reijciant, quæ quis locutus est: aut approbẽt, si approbanda viderint. At verò hoc in publico, diuino,

ſtudium ſit compoſitum. Hæc ibi.

Eſt etiã perſpicuũ ſolitas inter eoſdem, qui ad Eccleſiã ſic cõueniebant, tunc haberi quoq; exhortationes, admonitiones, & pleniores interim conciones, vt nũc etiam fit, cùm multi ſimul, vt diximus, conueniunt religioſi, vt olim cõſueuerant Aegypti Patres. Quod etiam indicat verbum D. Pauli, cùm ait, Qui prophetat, hominibus « loquitur, ad ædificationem, exhorta- « tionem, cõſolationẽ. Prophetare etenim rectè vocat D. Paulus, non ſolùm eius qui futura, vel occulta prædicit, ſed qui Dei ſpiritu exhortatur & conſolatur, & inſtruit, ex ſpiritus, inquã, ſancti inſpiratione, & impulſu, vt prophetę cõſueuerũt. Et ita quoq; ait, cũ cõueniebant, alios linguã habere, alios apocalypſim, id eſt, reuelationẽ, & alios habere doctrinã. De ijs ergo, quę ad doctrinam & inſtructionem fiunt populi, vult D. Paulus, ea fiant lingua, qua intelligantur. Quod etiam in Remenſi Concilio præcipitur can. 15. vt ſcilicet Epiſcopi ſermones, & homilias ſanctorum Patrum, prout omnes

IIII. *Conciones ad populum fiũt quidem lingua vulgari, non verò officia diuina.*

Concilium Remenſe.

 intel-

intelligere possint, secundum proprietatem linguæ prædicare studeant: in Concionibus videlicet ad populũ, vt etiã præcipit Conciliũ Tridentinum.

V. *Summa breuis totius intelligentiæ illius loci D. Pauli 1. Corinth. 14. quẽ heretici deprauant.*

Denique, vt summatim dicamus, toto hoc decursu D. Paulus solùm hoc vult, vt quoties ad alios sermo dirigendus est, vel priuatim (vt cùm olim conueniebãt Christiani in Ecclesia, & nunc etiam aliquando conueniunt ad conferendum inter se de rebus diuinis, sicut in illa tũc quoq; Corinthiorum Ecclesia) vel etiam cũ publicè apud alios verba faciẽda sint, ea oportere lingua loqui, ad eorũ exhortationẽ, admonitionẽ, vel etiã consolationem &c. quã omnes intelligant: Atq; hoc est, quod D. Paulus desiderat, „ vt omnes prophetẽt: quia qui prophe„ tat, hominibus loquitur ad ędificatio„ nẽ, & exhortationẽ, & cõsolationem: qui loquitur lingua, nõ ita, nisi sit, qui interpretetur. Sed nihil de diuinorum officiorum publiça celebratione, aut sacrificio Missæ, aut Sacramentorum administratione, vt vulgari lingua fiant, præcipit D. Paulus, aut de cæteris diui-

diuinis officijs erga Deum. Et ex his liquet ad omnia solutio.

Ad obiectionem ex Diuo Chrysostomo & glossa.

Ad illud ergo Diui Chrysostomi & glossę similiter respōdętur, intelligere de ijs, qui loquebantur linguis, quorū fructu priuabantur astantes, si sic illos laudātes & benedicentes Deū linguis non intelligebant: quia sic non ędificabantur. Nō enim leue incōmodum erat, vt ait D. Chrysost. quòd populus non ædificaretur, illis videlicet donis, quæ ad ipsiusmet populi vtilitatem à Deo data erant: vnde & finis donorū, & vtilitas populi peribat.

Obiectio.

Obijciet fortasse Hęreticus, Nónne illi Corinthij aliquando etiā tunc conueniebant ad sacrificium Missæ celebrandū, & ad officia diuina? Sanè cōueniebant, vt apud eundem constat D. Paulū in eadem Epistola capite pręcedenti 11. Sed nec tunc quidem in hoc rectum ordinem seruabant, & ideo ab ipso etiā D. Paulo in eo quoq; reprehenduntur, vt cū ait illo cap. 11. Conuenientibus ergo vobis in vnum iam non est Dominicā cœnā manducare. Vnusquisq; enim suā cœnam pręsu-

Solutio.

 mit

CAPVT XXVII.

IAm verò perſpicuè conſtitit, vanam & inanē fuiſſe obiectionem illam hæreticorum ex 1.ad Corinthios 14. Nunc autē ad maiorem veritatis illuſtrationē, & eorum confuſionem, oportet ſuo ipſorū gladio eos iugulemus, & oſtendamus nō ſolùm nihil Catholicæ ſententiæ obſtare, ſed multa potiùs contra eoſdē hæreticos, ex illo eodē loco D. Pauli colligi, ipſorū dogmatis contraria. Quorū aliqua iā ſcitu digniora referamus. *Plurima colliguntur aduerſus hæreticos ex illo loco, 1. ad Corinth. 14.*

Primùm ergo, quantū ad fructum illius orationis attinet, contrarium Caluino ſenſum potiùs colligit Origenes ex eo loco, in citato ſuprà eiuſdē Origenis teſtimonio, vt quia ſpiritus meus intra me orat, nō ſit ea oratio ſine fructu. Neque verò D. Paulus hunc negat fructum, ſed eius tantùm, qui audit, ſi non intelligat: & hoc eſt mentem eſſe ſine fructu, ſcilicet alterius. vnde ait, Tu quidem benè gratias agis. I.

Item orationem etiam non intellectam ab eomet qui orat, ſi bonus II.

ſit animus, & intentio recta orantis, non carere fructu, & placere Christo, & Deo, ſatis cõſtitit ex illa puerorum & infantium acclamatione Christi, imò etiam lactẽtium laude, quam approbauit Saluator noſter Matthæi 21. & ex aliorum Sanctorum teſtimonijs idem aſſerentium: quanto magis, ſi ille ipſe eam intelligat, qui orat, licèt non intelligant alij.

III. Imò verò, vt oratio pro altero facta, ei proſit, non eſt neceſſe alter ſciat pro ſe fieri, nedum vt eam audiat, vel intelligat. Demum, vt oſtendimus, certum eſt, Eccleſiæ Christi ſponſæ orationem, pro ſuis filijs non minùs exaudiri, ſiue hac, ſiue illa lingua fiat vulgari, vel Latina, &c.

IIII. Præterea ex eodem loco conuincitur, D. Paulum velle, etiam tunc temporis loqui linguis in Eccleſia, ſi ſit interpres. Imò non ſolùm in publico, & communi cultu Eccleſiæ ab ipſa conſtituto, & officijs diuinis, ſed etiam, (quod plùs eſt) in priuatis cuiuſque diuinis laudibus, quas propria quiſque deuotione fundit, (ſi eſſet inter-

D. Paulus vult etiã linguis loqui in Eccleſia, ſi ſit interpres: hæretici noſtræ ætatis nolunt.

interpres) permittebat in Eccleſia linguis loqui. Nam ideo eodem loco, cùm conuenirent Corinthij in Eccleſia, & vnus proprium pſalmum haberet, alius propriam reuelationẽ haberet, &c. expreſsè ait, Si lingua qs loquitur, ſecundum duos, aut multũ tres, & per partes, & ſit vnus qui interpretetur. Et in eodẽ cap. ait quoq;, Loqui linguis nolite ꝓhibere. & iterum ibidem, Volo vos omnes linguis loqui, magis autẽ prophetare. Itaq; ſi ſit interpres, loqui poterit. & ita vult D. Paulus. At vero in Eccleſia eſt interpres. ſunt enim Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, itẽ Presbyteri, Cõcionatores, & ipſemet Parochus, qui debent populo ea interpretari diebus ſaltem Dominicis, vt ſtatuit Concilium Tridentin. Seſſ. 22. cap. 8. & Seſſ. 5. cap. 2. & Seſſ. 24. in decreto reformationis cap. 4. Eſt, inquam, interpres, qui debito tẽpore, quo videlicet cõmodè Dei populus poterit conuenire diebus Dominicis & feſtis celebrioribus interpretetur. Et ſanè vbi interpretatio cum lingua ſecundum rei,

In Eccleſia eſt interpres, ſcilicet concionatores, Epiſcopi, etc.

Eccleſia debito loco & tẽpore adhibet interpretes.

Volo autē omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare: sed sic potiùs, Volo autem vos in Ecclesia vti lingua omnibus nota, vt non sit opus interpretari vel prophetare.

Præterea secundum hos nouos Ecclesiæ correctores, non deberet Ecclesia illa primitiua, & Apostolica loquētes linguis admittere intra Ecclesiā, quos tamen admittebat D. Paulus, & sequens Ecclesia deinde, illā primitiuam imitata. Vnde D. Epiphanius, describens characterem Ecclesiæ sui temporis secundū traditionem Apostolicam, in ea esse ait interpretes linguæ in linguam in lectionibus, vel in homilijs, id est, sermonibus ad populū. An melior est character Ecclesiæ, vel potiùs synagogę Lutheranæ, q̄ illius Apostolicæ? Hi ergo sunt, qui ordinē Ecclesię corrumpunt, & loqui lingua in Ecclesia, contra sanctum Paulum prohibent, & interpretandi linguam Dei charisma de Ecclesia tollunt.

Si solùm in Ecclesia vtē dum vulgari lingua, non deberent linguis loquentes admitti in Ecclesia.

D. Epiphan.

Traditio est Apostolica, vt sit interpres in lectionib⁹ & homilijs, quā peruertunt nouatores isti religionis.

Pręterea ex illis verbis (qui supplet locum idiotæ) colligitur, iam tunc in Ecclesia alios fuisse idiotas,

V. Reuincuntur hæretici ex illo loco, 1. Co.

rinth.14. qui supplet locũ idiotæ.

tas, aliũ verò fuisse, q suppleret locũ idiotę, ministrũ scilicet Ecclesię. Sunt aũt duæ lectiones illorũ verborũ, altera minùs communis per duplicẽ interrogationem: Quomodo quis supplet locũ idiotæ? Quomodo respõdebit Amen, super tuam benedictionẽ? vt in obiectione fuit posita. Altera cõmunior per vnam interrogationem: Quomodo qui supplet locũ idiotæ, respondebit Amen, super tuam benedictionem? Ex vtraq; ergo manifestè conuincitur, etiam tempore D. Pauli fuisse aliquem in Ecclesia, qui suppleret locum idiotæ, ac populi, siue docendo, siue benedicendo; nec omniũ fuisse ex ipso populo indiscriminatim loqui in Ecclesia, vt nunc falsò volunt hæretici. Nam q̃ro, quid est, Qui supplet locum idiotæ, siue per vnam, siue per duplicem interrogationem legas? Non enim ait, idiota, sed, qui supplet locum idiotæ. Quod sanè vrgendum est aduersus hæreticos. Imò verò ex communi lectione aliquid ampliùs colligitur, si sub vna interrogatione legamus, Illum videlicet eundem, qui

supplet

ſuppletlocũ idiotæ, reſpondere Amẽ, ſuper alterius benedictione. Et quidẽ meritò videri poſſit, iam tunc ad hoc etiam inſtitutũ eſſe miniſtrum, qui ſic reſponderet in Eccleſia: nam cũ populus neſciret ita expeditè reſpondere Amen, ſuper aliorũ benedictiones, neq; q̃ dicebantur omnia facilè intelligeret; meritò conſtitutus iam videri poteſt, qui ſuppleret locum eius, vt is reſponderet, quemadmodũ hodie in Eccleſijs eſt inſtitutus miniſter, qui ſacro miniſtrat & officijs diuinis, & is ſolus reſpondet, & ſupplet locum idiotę. atq; is mos inde (vt credi poteſt) natus ꝑ vniuerſam hodie ſeruatur Eccleſiã.

Iam erat miniſter tẽpore D. Pauli, qui reſpõderet in ſacro & diuinis officijs pro populo idiota.

Confirmatius fit. Nam idiotę Gręcè dicuntur plebei & ignari homines. Qui enim p̃ter vulgarem linguam ex doctioribus linguis aliquam didicit, is, vt rectè ait Sedulius in 1. ad Cor. 14. iam deſijt eſſe idiota, atq; inter doctos numerari debet. vnde Idioma etiam linguę proprietatẽ ſignificat. Sic etiam D. Chryſoſtomus in 1. ad Corint. homil. 35. ait: Idiotam ſeu indoctũ, ꝓmiſcuam plebem vocat. Et gloſſa inter-

Per Idiotã intelligere D. Paulũ populum ignorantem ea, quæ dicebantur.

Sedulius.

D. Chryſoſt.

clesiæ officiũ longè differt ab illa priuata,& propria cuiusq; & subitaneæ deuotionis oratione,aut ꝓphetia, aut exhortatione, aut linguarũ locutione,aut reuelatione.Nam publicũ hoc Ecclesiæ officiũ satis est omnibus notum,cùm quotidiè publicè dicatur,& decantetur corã ipso populo, & multoties intra annũ per Cõcionatores & Pastores,quid id sit,populo explicetur.Demum,(vt constat experientia) etiã vetulæ & rustici,ac idiotæ sciunt, Psalmos in ecclesia decantari,& fidei Symbolũ,& orationẽ Dominicam,& Epistolã,& Euangeliũ, atq; etiã matutinũ,& Vesperas recitari,& sacrũ fieri,& consecrari ibi Eucharistiã,Christiq; corpus,& ꝙ tunc orat Sacerdos, & offert ꝓ populo,& similia pleraque scit de hoc sacrosancto sacrificio, & officio publico atq; diuino, q̃ populo sunt satis, vt possit ipse pariter tunc orare, si velit, ac dicere Amen, super Sacerdotis benedictione. At de priuata alterius oratione, aut benedictione propriȩ deuotionis, pro cuiusq; arbitrio, nihil alijs istorum ei constat.Itaque in publico & communi,ac

propriam tantùm linguã cognouit, is qui supplet eius locum, & scit respondere Amẽ, haud dubiè debet esse paulò peritior, qui videlicet linguã eam, qua loquitur benedicens, aliquo modo nouerit, quam populus nesciat. Si enim fieret in lingua vulgari, ipse populus idiota sciret respondere. Si omnino aliena & peregrina, vt Indica, vel Persica apud nos, nesciret etiã qui supplet locum idiotæ. Superest ergo mediũ, vt lingua, quã populus nesciat, sciat autẽ, qui eius supplet locũ, qualis est Latina apud nos, apud illos autem tunc erat Hebraica, vel Græca, colligitur; inquam, vt communi fiat lingua, qualis est Latina, non peregrina, neq; vulgari. Cùm aũt hoc probabili ratione, vt videtur, ex eo loco colligitur; illa alia certè necessaria illatione conuincuntur, & fructuosam esse orationem illam, & D. Paulum velle esse interpretem, & vsum linguarũ in Ecclesia admittere; & esse iã olim Ecclesiæ ministrum, vt vidimus. Hæc igitur tot & tanta ex eodẽ loco aduersus nostræ ætatis euersores religionis

Q de-

demonstrasse sit satis. Ac de his hactenus, ex qbus cõstat, locũ hunc D. Pauli 1. ad Cor. 14. varijs multisq; de causis Lutheranis, & reliqs hereticis aduersari, quod tamen ipsi puersè pro se suoque errore detorquere, & corrumpere temerariè conantur. Iam ad alia respondeamus.

Ad alia scripturarũ testimonia. CAP. XXVIII.

Ad II. Testimonium.

AD illud Rom. 10. respondemus, plenè instrui in fide per Concionatores, per Pastores, p Doctores & Magistros Ecclesiæ, & p scripta pleraq;, tũ circa fidei expositionẽ, tũ circa mores & vitam, & doctrinam Christianã, & Catechismum, libros deuotionis &c. Itẽ per Euangelia, & Epistolas, q̃ in anno recitantur, cũ expositione quadã facili, ac Catholica, & pia, quã aliquæ ꝓuinciæ habent, vt tutò sic possint, qui velint, legere, cùm nõ sit cuiusuis nudè ex sacris literis haurire: nam & ita frangitur panis populo, sicut olim p Apostolos, & discipulos Domini, vt vesci possint paruuli; alijs deniq; innumeris vijs & modis populus satis in fide

1. Multa sunt, per quæ populus in fide sufficienter instruitur: vt ad hoc nil sit opus sacro vulgari.

fide instruitur, & eruditur.

Et ꝓterea ridiculũ est putare, ex hac 2.
Missa vulgari pẽdere fidem populi: & non potiùs, si ita fieret, labefactari fidem, & multò plùs incõmodorum eã vulgarem Missam allaturã, q̃ id, qualecunq; est, paruæ vtilitatis vulgaris intelligentiæ in illis pauculis verbis, vt antea satis constitit.

Ridiculũ est putare, ex vulgari Missa pendere fidem populi.

Ad illud Isaiæ 29. & Matthęi 15. Populus hic labijs me honorat, cor autẽ eorum longè est à me. Nõ sic est accipiendum, quasi hi reprehendantur, q ignota lingua orant: sed hi, qui quanuis noto quidẽ idiomate laudare Deum videbantur, tamẽ cor eorum longè esset à Deo, quia videlicet nec Deum amabant, nec desiderabant pietatis affectu, q̃ ore verbis poscebant: sed in peccatis permanẽtes corde, à Deo longè distabãt, & affectu, & operibus recedebant.

Ad III. Testimonium.

Labijs tantũ Deum honorat, non qui linguã ignorat, sed qui noto etiã sermone, tamen corde lõgè est à Deo alienus.

A Conciliorum & Doctorum authoritate.

CAPVT XXIX.

OBijcit Ioãnes Brentius Cõcilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 9. habetur ex-

1. Testimonium. Conciliũ Lateranense.

trà de officio iudic. ord. c. Quoniam. vbi ſic ait: Quoniam in pleriſq; partibus intra eandem ciuitatem atq; Diœceſim permixti ſunt populi diuerſarum linguarum, habentes ſub vna fide varios ritus & mores: diſtrictè præcipimus, vt pontifices huiuſmodi ciuitatum, ſiue Diœceſum, ꝓuideāt viros idoneos, qui ſecundum diuerſitatē rituum & linguarū diuina officia illis celebrent, & Eccleſiaſtica Sacramēta miniſtrent, inſtruendo eos verbo pariter & exemplo: prohibemus autem omnino, ne vna eademq; ciuitas, ſiue Diœceſis diuerſos pontifices habeat, tanquam vnum corpus diuerſa capita, quaſi monſtrum.

II. Teſtimonium. D. Hierony. D. Hieronymus ad Paulā & Euſtochium ſcribens hortatur eas, cùm eſſent fœminæ, ad lectionem & ſtudium ſacrarum literarum.

III. Teſtimonium. D. Chryſoſt. D. Chryſoſtomus, nō vno loco, exhortatur quoque laicos ad lectionem ſacrarum literarum. Ergo oportet ea nos habere vulgari ſermone &c.

IIII. Teſtimonium. Nicolaus de Lyra. Nicolaus de Lyra, in 1. ad Corinth. cap. 14. ait, in primitiua Eccleſia benedicti-

nedictiones, & alia communia facta fuiſſe lingua vulgari.

Solutio. CAPVT XXX.

AD Conciliū Lateranenſe reſpondemus, in eo de Græcis & Latinis tantùm agi, qui in eiſdem pariter ciuitatibus ſimul habitabant. id quod & temporū ratio manifeſtat, & ex celebratione ipſius Concilij colligitur, quod fuit ſub Innocentio III. anno Domini D.CC.XV. Nam cùm eo tēpore tum Conſtantinopolis, tum Hieroſolyma in ditionem Latinorū perueniſſent; atq; in eo Concilio Cōſtantinopolitanus Patriarcha, atq; Hieroſolymitanus interfuiſſent, & ad Sedis Apoſtolicæ obedientiā Gręci redijſſent; putauerunt Patres, eorum mores, & ritus, quantum cum Deo poſſent, ſuſtinendos eſſe, & ita conſtituerunt, vt vtraq; pars per ꝓprios ritus & linguā celebraret. Nā Eccleſia Gręca, & Hieroſolymitana, alios habet quoq; ritus in Miſſæ celebratione. Ac certum eſt, in Calabria, & Sicilia hodie quoq; extare populos aliquot, in quibus habi-

Multis modis oſtenditur, Lateranenſe Conciliū ſub Innocentio III cap. 9. nō ſolùm non fauere hæreticis, ſed illis potiùs aduerſari.

bitant mixti ſimul Græci & Latini, & ſeruatur illud Concilij ſtatutum: ſinguli nanq; ſuos proprios habent Sacerdotes, & ſuos ritus. De ijs itaque Grȩcis, & Latinis, tantũ loquitur Cõcilium. Vnde in eo Concilio de Græcis varia conſtituuntur, vt Canone 4. & can. 14. Fuere etenim in eo Concilio aliquot Patriarchæ, & Epiſcopi Græci cum legatis Imperij Græcorũ: de illis itaq; tantùm intelligitur, & de eorum cultu & ritu, non de alijs vulgaribus linguis.

Nec verò, etiam ſi de omnibus diuerſarum nationum linguis Conciliũ loqueretur, non ſolùm Grȩcis & Latinis, ſed etiam Cophtis, Iacobitis, Armenijs, &c. qui ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam redibant; ideo alijs, qui obedire detrectãt, concedendũ erit.

Nec, ſi apud illos, vbi mos ille antiquus & receptus erat, tunc fuerit toleratus, & permiſſus, ideo nouus, & ꝓhibitus apud omnes erit admittẽdus.

Nec, ſi pia mater Eccleſia ad euitandos populi tumultus, & in officio populos eos magis continendos, ſic

tunc

tunc ex dictis causis voluit,& dispensauit,ideo cum omnibus erit indiscriminatim dispensandum. Nec hoc iuuat nostræ ætatis hæreticos, quòd sic ex permissione concedatur,ad maius euitandum malum: nec ex hoc colligitur, melius esse, vel magis expedire.

Neque verò etiam illis ipsis Concilium quosuis, licèt antiquos, ritus permittebat,sed & antiquos & approbatos,& legitimos:neq; enim impios & sacrilegos,aut superstitiosos,& nuper inuentos, & inusitatos, quales horum sunt nostræ ætatis hæreticorum.

Deniq; manifesta ex eodem Concilio reuincuntur hæretici ratione: Nam si Concilium voluisset, vt vulgari lingua singulorum passim officia diuina celebrarentur, nō solùm id statuisset,in vna & eadem tantùm ciuitate,vbi variæ sunt nationes, & linguæ permixtæ,sicut statuit: sed multò magis in diuersis ciuitatibus diuersarum linguarum per totum orbem, vbi non sunt vlli alijs per-

mixti: (quod quidẽ est id, quod petũt hæretici) & à fortiori oportuisset ita constitui, si ita Concilium voluisset.

Postremò, si id præcepisset celebre illud ac generale Concilium Lateranense, iam inde à trecentis & quinquaginta annis (sub hoc enim tẽpus Cõcilium illud est habitum) & in Italia, & in Gallia, & in Hispania, & in omnibus alijs nationibus, cùm ab omnibus sit receptũ, & in Germania, Anglia, Scotia, Bohemia, Hungaria, Flandria, & in reliquis omnibus Ecclesiæ Catholicæ Christianorum prouincijs, vulgari lingua celebrarent; & vsus Latinę linguæ in diuinis officijs planè esset intermissus, & abolitus: & tamen eundem Latinum sermonem post Concilium celebratum in hunc vsq; diem perpetuò retinẽt, & retinuerunt. Non ergo defendi vllo modo potest hæretica sententia.

Ad illa iam D. Hieronymi & Chrysostomi testimonia respõdeamus: Nõ asserũt, vt cuiuis passim, & sine discrimine sacra Biblia concedãtur, sed adhibito delectu, vt qui tales sint, qualis

erat D. Paula, legant: boni, inquam, & pij ea legere possint. Itaq; his idem respondemus, quod D. Bernardus, qui Monachis vinum petentibus, & Timotheum allegãtibus, dixit: Da mihi alterum Timotheũ, & ego cibo eum, si vis, etiam auro, & poto balsamo. sic istis dicimus: Da mihi alteram Paulam, & alteram Eustochium, ac non solùm apertiora scripturarum, sed etiã arcaniora vulgari lingua permitto. Vnde etiam sacra Biblia vulgari versa sermone laicis conceduntur ab Ecclesia Romana, & à Catalogo librorum prohibitorũ ex Concilij Tridentini decreto Romæ edito; sed tamen habito delectu, & iudicio Ordinarij, vt vidimus, non passim, & sine discrimine: nã id plùs noceret, quàm prodesset. Quamobrem ipse quoque D. Hieronymus ad Paulinum scribens conqueritur de temeritate & audacia, qua homines nullo ingenio, nec vlla virtute commendati, eas nimis licenter tractabant; & de muliercularum garrulitate, qua dum sacras literas interpretari volebãt, multa temerè de-

Conciliũ Tridentinum.

Catalogus librorum prohibitorum.

D. Hieronym.

cernebāt. Agricolę, inquit, cęmētarij, fabri metallorum, lignorumq; cæsores, lanarij quoq; fullones, & cæteri, qui variam supellectilem, & vilia opuscula fabricant, absq; doctore esse non possunt, quod cupiunt. Sola scripturarū ars est, quam sibi passim omnes vendicāt. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Hæc ille: qui si hodie adsit, quid dicat?

2. De sacro verò Missæ, nunquam hi Sancti, aut de officijs diuinis tale quid asseruerunt; vt fierent vulgari lingua pro cuiusq; linguarū diuersitate, sed impiè & falsò hoc illis imponeretur.

3. Ad Nicolaum verò de Lyra respondemus duo: Primum, quòd verè in primitiua Ecclesia ea facta fuerit lingua vulgari, videlicet Hebræa, Græca, & Latina, tunc Iudæę, Græciæ, & Romæ vulgaribus, vt ostēsum est; sed tamen non alijs omnibus gentium omnium linguis, nec hoc ille ait. Alterum dicimus, quod ipsemet mox eodem loco subiungit inquiens: Sed postquam

popu-

populus multiplicatus fuit,& consueuit se conformare ministris Ecclesiæ, vtpotè stando, quando dicitur Euangelium, deposito capite adorãdo Eucharistiam,& cõsimilibus, fiunt in Latino in Ecclesia Latina, & sufficit quòd Clericus respondeat pro toto populo: Expeditiùs enim fit, hoc modo, quàm in vulgari. Hæc ibi ipse Nicolaus. Quare nõ solùm huic sententiæ non aduersatur, sed fauet, meliùs videlicet sic fieri, multiplicato Dei populo per varias prouincias & nationes.

Ab Exemplis. CAPVT XXXI.

Rvrsus exempla quędam obijciunt hæretici, ex ijs, quæ antea initio totius disputationis nos pro fide Catholica proposuimus: eorum videlicet, qui Latinè, Gręcè, & Hebraicè scripserũt: calumniantes quòd ea tunc lingua omnes vterentur, cùm illi scripserunt: quasi verò ex eo quòd in illis tribus tãtùm linguis tunc Latè patentibus, & omnibus comunibus scripta fuerint, ideo

Exempla ex prima sacrarum literarũ cõscriptione.

ideo in omnibus cuiusq; proprijs scribi debeant. Sic ergo obijciunt:

I. *Moyses et alij veteris legis scriptores.* Moyses scripsit Hebraicè ea lingua, qua tunc vtebantur, & plerique alij veteris testamenti scriptores similiter se gesserunt.

II. *D Matthæus D. Hierony. Euseb. Cæsar.* D. Item Matthęus iturus ad gentes scripsit Euangelium Hebraicè pro Iudęis, & ijs, qui ex circuncisione erāt, vt ait D. Hierony. in Prologo in Matthęum, & Eusebius lib.3. Ecclesiast. historiæ cap.24. aut, vt alij volunt, & superiùs nos diximus, scripsit lingua Syriaca, seu Chaldaica, qua scilicet tunc vtebantur vulgariter Iudæi.

III. *Noui testamenti scriptores sacri.* Præterea nouum testamentū Græcè est scriptū, qua lingua tunc vtebantur Græci, præter Epistolam ad Hebr. quę Hebraicè primò fuit edita, vtpotè missa ad Hebręos, Epistola verò ad Romanos etiam Græcè, quanuis aliqui falsò dicant Latinè conscriptam.

IIII. Item in Ecclesia Latina sacrorum Bibliorum versio Latina fuisse statim videtur à temporibus Apostolorum, qua lingua tunc vtebātur, vt diximus, imò & plures tunc fuisse Latinas versiones,

siones,ante D.Hieronymum,ipsemet D.Hierony.
ait in Prologo Iosue. Ac demum certum est,D.Hieron.transtulisse, & modò etiam extare vulgatam versionem Latinè.Quare Latino quoque sermone, quo tunc vtebantur, Latinis fuerunt traditæ sacræ literæ.

Atq; hæc exempla superiorum Patrum,&Apostolorũ sunt quidẽ sacrorum Bibliorũ: At Missæ,& diuinorum officiorũ similia extant eorũ exẽpla. v. Exempla alia Missa vulgarũ, et diuinorũ officiorum

D. Iacobus & D.Basilius Liturgias, hoc est,Missę celebrationem,conscripserunt, vt habetur de consecr. dist. 1. can.Iacobus.antè citato.Ac quidẽ D. Iacobus Hebraicè pro Hebræis, aut Chaldaicè, (vt alij volũt) qua lingua tunc vtebantur, quæ quidem extat,& qua vti vidẽtur etiam hodie, vt quidã dicunt,Aethiopes,& in Iudæa aliqui, atque in Armenijs nonnulli. D. Iacobus. D.Basilius. De consecrat. dist. 1.

D. Basilius verò scripsit Græcè pro Græcis,& D.Chrysostomus, D. etiam Epiphanius,omnes Græcè Græcis. VI. D.Basilius.

D. Petrus Latinè Missæ celebratione,Latinis primus tradidit, vt antea diximus,ex D.Isidoro lib.1. officiorum VII. D. Petrus. D.Isidorus.

cap.

cap. 15. At certum est, sic eam semper habuisse Ecclesiam Romanã, & habere modò, Latino sermone cõscriptã.

VIII. *D. Ambrosi.* D. Ambrosius Latinè quoq; conscripsit, qua modò vtũtur Mediolani.

IX. *D. Isidorus.* D. Isidorus similiter Latinè, qua olim vtebantur in Hispania.

X. *Exẽpla quarundam nationum.* Sed quod plus est, pleræq; nationes aliæ suprà dictæ, sua propria lingua habuerunt, & habent, vt Aegyptij hodie Arabicè, qui est vulgaris eorum sermo, & Dalmatæ Dalmatica lingua, à D. Hieronymo versa, vt multi asserunt authores. Et Russij hodie seu Rutheni. Et olim quoque Moranis Sclauonum lingua, eorum proxima aliquando fuit concessum, sacrum celebrarent, atque id impetrarunt ante 600. annos à Sede Apostolica.

XI. Igitur constat, Missam eo sermone fuisse conscriptam, & celebratam, quo omnes intelligebant, idque factum à sanctis Patribus, & Apostolis. Quare videtur imitandum, & eorum institutio sequenda.

Con-

Confutatio. CAPVT XXXII.

I. AD hæc omnia exempla allata Moysis, & aliorum scriptorum, veteris & noui testamenti, ex dictis liquet solutio; nihil scilicet ampliùs probari, quàm eos scripsisse Latinè, Græcè, & Hebraicè, vt antea diximus: non verò passim vulgaribus omnibus gentium linguis, quibus Euangelium tradiderunt, hæc aut vertisse, aut tradidisse, quod probari oportebat. Cur autem potiùs illis tribus linguis, quàm alijs, satis suprà est ostensum: neque verò equalem esse omnium rationem, quia scilicet communiores illæ essent, & vniuersaliores; & ob fidei præterea & religionis vnionem: & ob diuturnam sine labe, aut mutatione, aut errore fidei, eiusdemque veræ religionis, conseruationem: & ob alia denique complurima commoda superiùs allata, & vitanda grauissima, & propè infinita contraria incommoda.

Omnia allata exempla solùm conueniunt, tribus tantùm linguis, Latina, Graca, & Hebraica, non omnibus vulgaribus, fuisse à primis Patribus conscripta & tradita

Plurimis & grauissimis de causis ita se gesserunt primi Patres.

Sed preterea pressiùs adhuc tum ad antiqua, tum ad recentiora exempla II.

respon-

Principia duo manifesta, quibus obiectiones hereticæ penè omnes pro sacro vulgari prosternuntur.

respondetur propositis duobus primò principijs, quæ quidem ipsimet quoq; aduersarij concedent, cùm per se pateant. Quorum alterū est, Linguarum aliquam esse germanā ac propriam, quorundam locorum; aliquam verò esse linguam communissimam, & maximè vniuersalē: non solùm vni prouinciæ propriam, sed pluribus prouincijs cōmunem, qualis olim erat Latina, Græca, & etiam Hebraica: quibus tunc plurimæ regiones loquebantur, & ex alijs plures addiscebāt, vt hodie quoq; in eisdem linguis accidit. Alterum principiū est, Scribi posse Euangelium, aut verti sacras literas, & sacra tradi, vulgari lingua alicuius populi, vel cùm primò eis Euangeliū prædicatur, vel postquam iam Euangelium acceperūt, præsertim si successu temporis eorū linguā mutari contingat.

III. *Contrariū potiùs colligitur ex illis Apostolorum primorū Patrum exem-*

Iam his positis principijs ad exempla illa prima conscriptionis sacrarum literarum allata respōdemus, contraria potiùs ex eisdem locis colligi eorundem Apostolorū, & discipulorum exempla, videlicet, nō scripsisse omnibus

bus

bus alijs linguis, quibus concionati sunt, & Euangelium tradiderunt, neque sacra, aut diuina officia, omnium illarum gentium linguis tradidisse, aut celebrasse Germanicè, Anglicè, Armenicè, &c. Exemplum quoq; Iudæorum, ac Synagogæ, contrariũ est: constat enim nõ omnibus linguis vulgaribus, quibus loquebantur Iudæi dispersi iam longè ante aduentum Saluatoris, aut scripsisse, aut vertisse; (vt fusiùs antea ostendimus) neq; id Apostolos, vel antiquos illos veteris testamenti Patres imperasse: sed in vna solũ lingua Græca vel Hebraica scripsisse, & scripta semper retinuisse.

IIII.

Cùm primùm hominib. lex et Euangeliũ fuit traditũ, per quos ad alios debebat deriuari, meritò in ea ipsorũ lingua, quã intelligerent, et in qua ea incorrupta conseruarẽt, fuerunt conscripta.

Præterea, vt superiùs diximus, cùm primò lex Dei, vel Euangelium traditum fuit, primis quibusdam hominibus, per quos ad alios debebat deriuari, in eorũ lingua meritò scriptũ fuit, quam & ipsi intelligerent, & in qua ea inuiolata seruarent, & sic seruata & scripta alijs incorrupta & immutata religiosè traderent. At non probatur hos ipsos, qui à primis Patribus, & fidei authoribus acceperunt, postea pro-

 libi-

libito passim, & pro varietate linguarum, quibus concionarētur, transtulisse; vel sacra deinde sic translata vulgari lingua fecisse, aut alia, quàm quæ tradita fuerāt, celebrasse; aut suo ipsorum iudicio Euangelium postea nouis linguis, omnibus vulgaribus conscripsisse. Cùm in hoc, vt ostendimus, maximum esset periculum, mutandæ & euertendæ fidei ac religionis, & sic vnio fidei, & religionis periret, & antiquę primæ fidei memoria prorsus aboleretur, & fieret, vt tot essent Euangelia, quot codices; tot fides, quot linguæ; imò & tot religiones, quot Concionatores; atq; vt vnus esset Pauli, alius Apollo, alius Cęphę, alius Christi: quod D. Paulus grauiter reprehendit. & deniq; periculum esset maximum errorum, & iacturæ fidei, & obliuionis totius antiquitatis in istis versionum mutationibus. Sed nec vlla esset fidei certa regula, neq; certitudo scripturę sacræ, neq; firma, & stabilis religio.

V. Multa et maxima incōmoda, ob quæ Apostoli, et primi illi Patres non omnibus linguis ea scripserunt, vel verterunt.

Itaq; non probant illa exempla Patrū, postea debere mutari, & ferè quotidie pro mutatione & varietate cu-

iusq; linguæ, quod volunt hæretici. Quòd tamen neq; Apostoli, neque Apostolorũ successores vnquã fecerũt

Tandem hoc conceditur, scribi oportuisse, & scripta fuisse lingua communissima, & maximè vniuersali; pluribus, inquam, nationibus, & prouincijs, ac regionibus communi. Et quia tales erant, & sunt hodie, Hebraica, Græca & Latina linguæ, vt probatum est, cùm in pluribus nationibus etiam diuersarum linguarũm vulgariũ, semper plurimi reperiãtur, qui Latinè sciant, & etiam Græcè, & Hebraicè: ideo in ijs potiùs scribi & tradi debuerunt. Quòd autem in priuatis quibusq; linguis passim vertantur cuiusuis ciuitatis, vel prouinciæ, non ita: cùm hoc, vt diximus, potiùs sit contra exemplũ, & institutum ipsorum Apostolorum, qui vna sola lingua scripserunt, cùm tamen varijs linguis Euangelium tradiderint, & concionati fuerint. imò nec ipsi scripserunt varijs linguis, nec verterunt, nec discipulis iusserunt, vt id facerent, sed neque factum est.

VI. Communissima & maximè vniuersali lingua scribenda potius fuerunt.

Ad alia exempla quarundam prouinciarum recentiora.

CAPVT XXXIII.

1. *Illi paucis locis ob necessitatē, vel ministrorum penuriam, &c. fuisse aliquādo, sed rarò dispensatū, vel ob haeresim et schisma introductum et vsurpatum.*

AD alia exempla recentiora Dalmatarum, Ruthenorum, Morauorū, ac Aegyptiorum allata respōdemus, primò ad omnia in vniuersum, etiā si legitimus is vsus concederetur; tamen ex illis hoc solum probari, nō esse contra ius diuinum, vt ex legitima licētia & dispēsatione sacrum fiat vulgari lingua, aut vt sacra Biblia vertantur, si tamen causa subsit, & ab habēte authoritatem & potestatem fiat. Et hoc idem indicatur in Concilio Tridētino iam citato Sess. 22. cap. 7. cùm ait, non expedire, vt passim concedatur. nam illa vox (passim) indicat aliquando, si causa subsit legitima, ex licentia fieri posse. Non tamē probatur ex illis, passim ita debere fieri, & sine delectu, vel sine licentia. Factum enim aliquando, & rarò fuisse factū, nō probat semper ita fieri debere; neq; id expedire, neq; melius esse, vt apud omnes sic passim fiat,

Ridiculū est argumentū, si aliquando, et alicubi rarò factū est, ergo id debet fieri, vel magis expedit apud omnes.

fiat, & ridiculũ eſſet tale argumentũ.

Cauſæ autem huiuſmodi permiſſionis eſſe poſſent hæ, vt cùm primò fides alicui prouinciæ traditur, ſi nulli in ea poſſent reperiri tũc miniſtri, qui Latinè diſcerent, & fidem apud eos propagarent, & conſeruarent, vel ſaltem ad tempus: quod Morauis, & aliquibus iſtorũ videtur accidiſſe, vt ad ſingula iam exempla veniamus. Nam ob hanc cauſam initio ſuæ conuerſionis ad fidem Cyrulus & Methodius in Morauorum gratiam ante ſexcentos annos à Sede Apoſtolica impetrarunt, vt eis rem diuinam facientibus lingua Sclauonum vti liceret, quòd ea gens ipſis authoribus in Chriſtum credere cœpiſſet, vt ait Pius II. in hiſtoria Bohemiæ cap. 13. Quorum quidem lingua ad Sclauonum dialecton proximè accedit. Quanuis iã hic mos aboleuerit, & Latinè nunc faciant, qui Catholicæ ſunt communionis, quòd plùs in ea re incommodi, quàm vtilitatis intellexerint. II.

Cauſa aliquot huiuſmodi permiſſionis, vel vſus, aut abuſus, ex defectu ſcilicet miniſtrorum, ſchiſmate, hæreſi, etc.

Apud Morauos.

Cõſimilis Dalmatarũ ratio videtur, vbi tamen mira omnes ignorantia la- III.

borant,ex eadem fortaſſe cauſa.

IIII. *Apud Ruſſios erroribus infectos.* In cæteris verò allatis exemplis nō diſpenſatio legitima, ſed hæreſis inobedientię,diuiſionis,& ſchiſmatis huius rei cauſa perſpicua deprehenditur. Nam Ruſſij varijs fuerunt & ſunt infecti erroribus, & nūc vix ſacerdotes, nedum populus; quæ dicunt, intelligunt: vt, qui eas viderunt & norūt regiones,referunt.

V. *Apud Aegyptum olim ſacra & diuina officia Græcè,ſed poſt eorū ſchiſma, et diſceſſum ab Eccleſiæ vnione, Arabicè peragunt.* Apud Aegyptum & Alexandriam Arabica quidē in ſacris, & diuinis officijs hodie lingua vtūtur,cùm tamen olim Græca vſi videātur, vt ex eius regionis ſcriptoribus,& Doctorib⁹ Gręcis, D. Athanaſio, Clemente Alexandrino,Didymo,cum reliquis, qui Gręcè ſcripſerunt; atq; Origene, qui Alexandriæ ſacras literas Græcè docuit, & D. Hieron. qui in Prologo Paralipomenō ait eos vſos Septuaginta interpretū verſione, conſtare facilè poteſt. *D. Hierony.*

Videntur autem poſt diſceſſum à Cōcilio Chalcedonēſi, cùm primùm in ſchiſma inciderūt, ex malo animo, & Græcorū odio, quo etiā nunc grauiter laborant,vel à Dioſcoro hæretico,

co, eius regionis Alexãdrino Patriarcha in eodem Concilio condemnato, & eius sequacibus impulsos, & p̄suasos id fecisse, aut ex alia cõsimili causa, certè hodie & schismatici sunt, & erroribus non paucis laborant, vt nostrę Societatis Patres, qui eò se cõtulerunt, testes fide digni, nobis retulerũt; & magna pręterea laborant ignorantia: & nec sacros vllos Doctores habent, sed quædã pauca lacera, & mutila tantùm Arabica. VI.

Armenij etiam quidam hæretici, & schismatici, non mirũ si ex eadẽ causa schismatis & diuisionis, & odij etiam cõtra Græcos, propria lingua, scilicet Armenica, in sacris vtuntur, quanuis aliqui eorum Hebraica, vt dicitur.

Armeniorum alij ex causa erroris & schismatis Armenicè, alij Hebraicè sacra faciũt, & diuina celebrant.

VII. Aliqui Hussitæ etiã apud Bohemiã (sunt etenim illius hęresis hodie diuersi gradus) Bohemica lingua celebrant, cuius causa fuit ipsamet hæresis, licèt aliqui celebrẽt, vt antea consueuerãt, Latina. Cęteri in alia aliqua regione, vulgari fortè sermone in sacris sunt vsi: idq; vel aliqua vrgente necessitate ex ministrorũ inopia, vt diximus, à su-

Hussitarum quidã Bohemica lingua, ex causa hæresis, cùm tamẽ antea Latinè.

Quæ rara sunt, et ex abusu, & schismate, et hæresi nata, non sunt, in exemplũ, aut imitationem adducenda.

periore permiſſũ, vel ex abuſu aliquo, odio, ſchiſmate, aut hęreſi introductũ; Tamen rarum id eſt, & quod in exemplum, aut imitationem adduci nõ debeat. Celeberrimus enim & frequentiſſimus; legitimus, & optimus vſus fuit Latinè tantũ, Gręcè, & Hebraicè.

VIII.

Malus exitus illius vſus deterrere debe-ret præſentès hæreticos, ſi quicquam in eis eſſet pietatis, vel prudentiæ.

Sed etiam id malè in eiſdẽ regionibus ſucceſſiſſe, ſicut antea retulimus, videmus; tum ob ignorantiam ea occaſione vulgaris linguę introductam, vt experientia oſtẽdit, apud prædictos Dalmatas, Aegyptios, Ruthenos, Huſſitas, qui vulgari lingua officia celebrarunt; (Quę etiam non parum incipit inualeſcere apud Cõfeſſioniſtas Lutheranos, & Sacramentarios Caluiniſtas, ac alios noſtræ ætatis hæreticos: cùm vix apud illos ſcientiarum aliquis egregiè peritus reperiatur, niſi ſi qui fortè in Catholica didicerunt) tum ob hęreſes, ſchiſmata, & ſuperſtitiones varias, cõtrariosq́; cultus, & errores, quibus ijdẽ, qui ſacris hodie vulgaribus vtũtur, miſerè laborant. Quare non expedit imitari, quæ male cedunt, ſed potiùs debebimus eorum exi-

exitum perhorreſcere. Quanuis, quod IX.
notatu dignũ eſt, etiã iſti omnes Ru-
theni, Aegyptij, & cæteri hodie nõ in-
telligunt: verùm antiqua linguæ di-
alecto, primò ſuſcepta, religiosè vtun-
tur, neq; tamẽ ob id cõqueruntur, of-
ficia diuina lingua non intellecta de-
cantari. Quare iſtorum exemplũ pa-
rùm fauet noſtris hæreticis, qui oĩa
ab omnibus volunt intelligi. Sed pre-
clara profectò iſti nobis exempla ob-
ijciunt, ſui ſimilium hæreticorum, &
ſchiſmaticorum.

Plerique ex ijs, qui iam olim lingua vulgari ſacra peragũt, nunc vix quicquã, antiquata & mutata iã eorum lingua, intelligunt. nec verò ob id conquerũtur, vt noſtri hæretici.

Obiectiones Rationum. Ac primò ab vtilitate varia. CAPVT XXXIIII.

OBijciũt Lutherani & Calui-
niſtę rurſus rationibus, quas
ordinis & ꝑſpicuitatis gratia
tribus capitibus diſtinximus.

Ac primò ex vtilitate varia. nam ꝓ- I.
deſt ad eruditionẽ populi. Quia multa
non ſolùm in Biblijs, quod certum
eſt, ſed etiam in ſacro cõtinentur vti-
lia ad populi inſtructionem, & erudi-
tionem, quibus nõ videtur priuari de-
bere populus.

Accedit, quòd fides populi illis ro- II.

 bo-

boraretur intellectis, & nutriretur etiam spes.

III. Reuerentia rursus, vt videtur, accresceret erga res diuinas, & æstimatio, & amor, & erga Eucharistiā maior quoque deuotio, cùm intelligant: At modò facilior ita est contemptus earum rerum, cùm nesciant, quid fiat, neq; quid dicatur.

IIII. Item diebus saltem festis huic populus lectioni vacare poterit. Nam quid, rogo, melius, aut vtilius vniuersus populus agat festis diebus, q̃ interesse diuinis officijs, quę intelligat, & lectioni postea sacrarū literarum domi vacare?

Confutatio. CAPVT XXXV.

Ad I. Concilium Tridentinū. AD primum, Concilium Tridentinum respōdet, Sess. 22. cap. 7. antea citato, Etsi in sacro multa contineātur ad populi eruditionem, tamen non visum esse Patribus expedire, vt passim lingua vulgari fieret. Causæ vero,

2. Periret, vt suprà ostensum est, vnio fidei, religionis, cur non expediat, suprà satis multæ eędemq; grauissimæ allatę sunt: quia scilicet periret vnio religionis, charitatis,

ritatis, & Ecclesiæ, ac fidei, cum cæteris summis & maximis incommodis, quæ suprà memorauimus: & qualiscunq; ea esset vtilitas, longè alia grauiora contraria incommoda prçponderant.

charitatis, Ecclesiæ, & plura alia grauissima incommoda sequerentur.

Sed quæ, obsecro, ista est vtilitas planè inutilis ex vulgari vestro sacro? Num conscientię, & morum maior reformatio? Et quæ, rogo, apud vos vitę, & morũ correctio apparet ex isto vestro verè vulgari sacro? Imò verò, vt experientia deprehendimus, magna ex his & alijs vestris dogmatis morum extitit corruptela, & vitę licentia.

3. Ex prauis Lutheri & aliorum hæreticorũ dogmatis, magna oborta est morum corruptela, & vitæ licẽtia apud eas nationes.

Ad Secundum & Tertium. Tantum abest, vt fides vel reuerentia rerum diuinarum accresceret, vt potiùs labefactaretur fides, & sequerentur errores, ac superstitiones, & impij cultus, & contemptus, tum Sacerdotum, tum rerũ diuinarum, vt superiùs diligentissimè ostendimus.

Ad II. & III. Sequerẽtur, vt suprà ostensum est, superstitiones, falsi cultus, contemptus Sacerdotũ, & diuinarum rerum &c.

Ad Quartũ. Vtiliora multa sunt alia idiotis, & ignoranti populo,

Ad IIII. Quòd sint alia longè vti-

liora, populo rudi & ignoranti, quàm vulgaris lingua sacrum.

& fœminis,ac rusticis,& similibus cũ reliqua plebe, & alijs, q literas nesciunt,videlicet audire sacrũ, & diuina officia,quacunq; autem lingua fiant, non eorũ maximopere refert; & interim etiam in Ecclesia orare; postea Hospitalia adire, pia opera exercere, vitas Sanctorũ vulgari sermone conscriptas legere, & libros alios ad ipsã rudioris populi instructionem cõscriptos euoluere, & conciones plerasq;, & expositiones,q̃ vulgari sermone ꝑmittuntur perlegere.Nam ij libri pro captu ipsorũ sunt accommodati, & sunt in eis particulæ q̃dam sacrarum literarum explicatæ, & accõmodatæ rudioribus,atq; ex his multò plùs fructus capient, q̃ ex leui illa sacri vulgaris intelligentia. Quòd si quis etiam putaretur aptus ex istis ad lectionẽ sacrarum literarũ,is habita licentia Ordinarij,(vt in Catalogo librorũ Pontificis ex Concilij Tridentini decreto conscripti conceditur)poterit legere: sed non erit concedenda passim, sine personarum delectu.

2. Tandem vel nulla,vel certè perexigua

Perexigua ea eſſet vtilitas: nam vel non legerent, vel ſi legerent, nõ intelligerent.

gua hæc eſſet vtilitas: nam vel non legerent plurimi, vt experientia oſtendit, etiã apud eos, quibus licentia conceditur; vel ſi legerent, non intelligerent: quotus quiſq; enim eſt, vt diximus, ex idiotis & imperitis, qui Pſalmos Dauidis intelligat, aut Prophetas, vel Apocalypſim, vel Eccleſiaſtẽ, vel Iob, vel Epiſtolas D. Pauli, cũ pleriſq; alijs ſacrorum voluminũ libris? Imò q̃ multi ſunt, qui Latinè ſciunt, & non intelligunt? Sed nec ſacrum ipſum, & quę in ſacro dicuntur, (quòd quotidie dicunt, vel audiunt) plerique quãuis Latinè periti aſſequuntur, nedum populus, aut plebs imperita.

3. Qui curioſiùs iſta legerent, eſſent hodie ferè hæretici, vt in hæreſi confirmarentur, non alij.

Deniq; qui curioſiùs legerit hodie, is ferè erit hæreticus, vt in ſua hæreſi confirmetur, vt vndiq; q̃rat loca malè intellecta, quibus in hæreſi ſtabiliatur, vt ab hæreſiarchis citata loca ibidem diſcat, & identidem memoriã refricet. Hi enim, huiuſque farinæ homines ſunt, qui hodie maximè auc̃t, nõ alia de cauſa, vt vulgari lingua cũcta tradantur.

4. Quamuis aliqua eſſet vti-

Demum etiam, ſi eſſet aliqua vtilitas, tam multa contrà obſtant in-

litas, tamen contraria incómoda longè prapõderãt. commoda, quæ attulimus, vt longè præponderent, & hæc, quantulacunq; appareat, cum tot & tam multis contrarijs collata, pro nihilo prorſus ſit reputanda.

Obiectiones

Ex dignitate & fine ſacrarum literarum & earum varijs laudibus.

CAPVT XXXVI.

Fucus hæreticorũ ex ſcripturarum ſacrarum laudibus. FVco hoc hæretici laudum ſacrarum literarum ad vulgarẽ verſionem omnibus ſine delectu communicandã, ad vulgareq; ſacrum & diuinorum officiorum, vernacula lingua prophanã celebrationem abutuntur. In ſcriptura

1\. (aiunt) continẽtur omnium ſtatuum, & rectę omnium vitæ præcepta: eſt ibi quod iuuenes, ſenes, fœminæ, oẽs deniq; diſcant: vbi infans lac, adultus ſolidum cibum reperiat. Deniq; Pſal.

Pſal. 18. 18. ideo dicitur lex Domini immaculata conuertẽs animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis: iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos &c. & 2.

ad

ad Timoth.3.Omnis ſcriptura diuini- 2. ad Tim. 3.
tus inſpirata, vtilis eſt ad docendum,
ad arguendũ,ad corripiedum, ad eru-
diendum in iuſtitia, vt perfectus ſit
homo Dei, ad omne opus bonum in-
ſtructus.

Præterea id debet fieri, vt ſcriptu- II.
ra pleniùs euulgetur, & ab omnibus
intelligatur, quæ pro ſalute omnium
tradita & ſcripta eſt; & vt ad eum finẽ
perueniat,ad quem ſcripta eſt.

Item, malo ipſe (ait Hæreticus) ex III.
fonte haurire puriſſimo, & limpidiſ-
ſimo,& abundãtiſſimo,ſcilicet ſacra-
rum literarum, quàm ex riuulis, &
quidem fortè turbidis, certè minùs
perſpicuis,& minùs copioſis.

Ampliùs,quia ſacræ literæ(ait Hę- IIII.
reticus) non ſunt difficiles, ſed claræ,
& quæ ab omnibus facilè poſſunt in-
telligi, & pſertim à ſimplicibus. nam
(vt ait Salomõ) Cũ ſimplicib' ſermo-
cinatio eſt,ſcilicet Dei.Et Saluator no Matt. II.
ſter, Matt.II. Cõfiteor tibi,ait, Pater,
Domine cæli & terræ,quia abſcondi-
hęc à ſapiẽtibus & prudentib',& reue
laſti ea paruulis. Ita pater: quoniã ſic
pla-

placitũ fuit ante te. & rurſus, Omnes
Ioannis 6. ſunt docibiles Dei, Ioannis 6. Quare
ſimplex idiota,& bonus, (ait Hæreti-
cus)meliùs intelliget ſacras literas, q̃
philoſophus,aut ſuperbus literatus.

Confutatio. CAP. XXXVII.

Ad I. & II. In aſſequutione finis debitus modus, & ordo ſeruandus.

AD Primũ,& Secũdum: Concedimus in ſacris literis diuina p̃cepta ſanctæ vitæ omnium ſtatuum cõtineri, & pro
omnibus eſſe conſcripta, & ad omnium vtilitatem, & ſuum finem debere
conſequi,ad quem ſcriptæ ſunt ſacræ
literæ: Tamen ad hunc finem non
quouis modo,& quauis ratione debere peruenire: ſed debito & ordinatò
medio, ac modo, ſcilicet per Eccleſiæ
Doctores & Paſtores. neq; enim fruſtra in Eccleſia poſiti ſunt Doctores
ab ipſomet Deo, vt ait D. Paulus ad
Epheſ.4. & 1. Corinth.12. niſi vt alios
doceant, & ſacras literas eis interpretentur. Non enim omnes Doctores,
vt idem ait. Et prætereà ſuper cathedram Moyſi ſedẽtibus iubemur obedire, & quæ dixerint,facere, Matth.23.
& de labijs Sacerdotum requirendam

Non ſunt fruſtra Doctores & Paſtores poſiti in Eccleſia Dei. Ad Epheſ. 4. 1. Corint. 12.

Matth. 23.

Malachiæ 2.

legem,

legem, Malachiæ 2. Et vt omnia ordinatè fiãt, vult quoq; ad Corinth. 14. *1. Cor. 14.*

Deniq; paruulis oportet frangatur panis, cùm petũt, & eiſdem debet fractus diſtribui: neque verò integer dari, ne vel veſci nequeant, vel dentes eorum comminuantur, ſi per ſe ipſi frangere tẽtauerint: ne illud prophetæ Hieremiæ accidat, Threnorum 4. Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Haud ergo ſecùs iſtis euenit, cùm per ſe vnumquenq; ſine diſcrimine omnia iubent indagare, & quærere. *Ne paruulorũ dentes cõfringantur, oportet eis panem frangere.* *Hieremiæ Thren. 4.*

Ad Tertium ſimiliter reſpondetur. Fortè cùm altum eſt flumen, aut ingens lacus, & ex eo vis bibere, lapſu pedis incautè ſuffocaberis: & libet potiùs hauſtam inde ab alio aquam, domique allatam bibere. *Ad III. Non eſt tutũ omnibus in ipſo flumine vel in lacu bibere.*

Atq; etiã fortè ſi altus ſit fons, neq; funem habeas longiorẽ, vel non hauries, vel ſi te nimiùm demiſeris, in eũ cades; aut ſi deſcendes, fortè nõ egredieris inde. Libet ergo, & tutius eſt, ex aquæ ductu accipere, vel ex paruulo fontis foramine, vnde ſcaturit aqua, *2. Non eſt omn ex profundo flumine, vel mari aquam haurire.*

ad bibendum accommodo, vel ex aqua domum allata per aquarios, vel aquæ ductus: quos non ineptè dicere poſſumus Paſtores & Doctores Eccleſiæ, & eorum monumenta.

3. *Similes hi ſunt eis, qui omnibus conſulerent, non in vaſis paruis, ſed in dolio bibendum, vel in flumine.*

Item, ſimilis is eſſe videtur ei, qui nollet bibere in vaſe paruulo, ſed in dolio ipſo immerſo deorſum capite, vel in flumine, & ita omnibus faciendum conſuleret. Quibuſdã ergo ſacras literas adire licebit, alijs non ita ſine periculo.

Ad IIII. Non eſſe faciles ſacras literas, aut omnibus peruias. 2. Petri 3. 2. Corint. 4. 1. Timoth. 1.

Ad Quartum: Eſſe difficiles ſacras literas, nõ faciles, aut omnibus peruias, iam ſatis oſtẽdimus ex D. Petro, 2. Epiſtola cap. 3. & ex D. Paulo, 2. ad Corin. 4. & 1. ad Timoth. 1. alijsq́; locis, vbi & difficiles eſſe D. Pauli Epiſtolas, & opertum eſſe quibuſdam Euãgelium; & multos in eo aberraſſe falſos Doctores, & ꝓphetas falſos, ipſe idem aſſerit: & indigere pręterea non ſolùm morum ſimplicitate, humilitate, & pietate, ſed etiã do-

2. *Plures ſunt res neceſſariæ ad lectionẽ vtilem ſacrarum literarum, quæ non paſſim in omnibus reperiuntur.*

ctore,

ctore,& diligentia,& ingenio,& multis etiā pſidijs, ſatis nos ſuprà demonſtrauimus: ſed neque proprio ſenſu aut humanó eſſe interpretandas, verùm Eccleſiæ & Sanctorū, cùm oēs errores, & hæreſes inde pendeant, ex cuiuſq; videlicet proprio ſcripturæ ſenſu. nam, vt nos docuit idem D.Petrus 2.Epiſtola càp.1. omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione nō fit: non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia &c.

3. *Non debent ſcripturæ proprio cuiuſq; ſpiritu interpretari, ſed Eccleſiæ, & Sanctorum.*

2.Petri 1.

Obiectiones

Ex comparatione Latinæ, & vulgaris verſionis.

CAPVT XXXVIII.

QVas vtilitates afferre dicas Latinam verſionem ſcientibus Latinè, eędem erunt vulgaris verſiōis ſciētibus vulgariter, & è contrà; q̄ incōmoda referas vulgaris verſionis in eis, qui illam intelligunt, eadē erūt Latinę verſionis Latinè ſcientibus. eſt enim eadem cauſa, & eadem proportio. I.

Multò etiam plures hereſiarchę (vt ſuperiùs dicebamus) facti ſunt ex doctis, q̄ ex imperitis; & multò plures II.

 erro-

errores disseminati per hos, quàm ꝑ illos. Quare maiori cū periculo eam, vt videtur, docti legunt Latinè, quàm indocti & simplices lingua propria.

Confutatio. CAPVT XXXIX.

Ad 1. Doctis & bonis plùs proderit, quàm bonis & indoctis.

AD Primum: Doctis & peritis & bonis haud dubiè plùs proderit sacrarum lectio literarum, quàm rusticis imperitis, etiamsi bonis. Item si periti & docti nōnunquam hallucinantur, in earum intelligentia, multò plùs alij cæcutient. Prętereà, qui Latinè sciunt, multò plùs facultatis habēt ad legendas interpretationes Sanctorū, & ad discendū ex alijs, quæ nesciūt, quàm imperiti, & Latini sermōis expertes; ꝑterquàm ꝙ vel hoc solum, ꝙ Latinè sciunt, argumento est, eos non esse omnino rudes, sed ingenio valere, & longè superarę alios populi rudiores. Quare longè diuersa est eorum ratio.

2. Si docti hallucinantur, multò magis indocti.

3. Qui Latinè sciunt, plùs facultatis habent, quàm alij.

Ad II. Hæresiarchæ quidam indocti ex hac vulgaris versionis lectiōe.

Ad Secundum: Non defuerunt ex idiotis hęresiarchæ, & quidem ex hac ipsa occasione nati; ex lectione, inquam, vulgari sacrorum Bibliorum, vt Vualdus, & ab eo dicti Vualdenses, quos

quos antea retulimus: & Beghardi, ac Terapini, & hodie etiam Anabaptistæ, vt dictum est. Et propterea, quanuis pauciores ex idiotis fuerint hæresiarchæ, tamẽ plures ex ijs sunt, & esse solent hæresiarcharum fautores, vt diximus, & plures eorum sequaces. At hos hæretici ipsi lactant & fouent, his sacrarum literarum versionibus, ostendentes illis loca, quibus hæresim suam astruunt, vt in animis eorum imprimant, & quasi ipsorum proprio iudicio captiuos detineant ignorantes, quos aliter capere non possent.

2. *Pauciores in Ecclesia fuere hæresiarchæ ex indoctis, sed hæresiarcharum fautores multi.*

3. *Hac vulgari versione lactãt hæretici rudiores, & ignorantes.*

Ridiculum est autẽ, quod quidam eorum dicere solent, se conscientia vrgeri, & ab ea conscientia impulsos hoc velle, & ita petere, neque se contra huiusmodi conscientiã agere posse, aut debere; cùm tamen, quod grauius est, conscientia non vrgeantur, quòd scissionem in Ecclesia inducãt, & diuisionem, quòd non obediant, quòd sint iudices Superiorum, quòd suum omnibus iudicium anteponant, & Ecclesiæ consuetudinem damnent. Verè hæc est conscientia Pharisaica, ex-

1. *Ridicula hæreticorum excusatio, ac defensio, quòd scilicet vrgeantur propria conscientia.*

2. *Conscientia hæreticorũ Pharisaica, excolãtes culicẽ, et*

camelũ glutientes: occidẽtes Christũ, et non ingrediẽtes pretoriũ.
Matth 23.
Ioan. 18.
1. Timoth. 4.

excolantes culicem, & camelum deglutientes, qui Christum morte condemnabant, & in prætorium Principis, ne contaminarentur, ingredi non audebāt. Hi sunt, de quibus ait D. Paulus 1. ad Timotheum 4. qui attendentes spiritibus erroris, in hypocrisi loquuntur mendacium, & cauteriatam habent suam conscientiam. Facilè itaque ijs dici potest, vt erroneam conscientiam deponant, & Ecclesiæ ac Concilij iudicio se submittant. Atque de his hactenus.

3.

Deponat Hæreticus conscientiam erroneam, et sequatur iudicium Ecclesiæ & Concilij.

Epilogus.

Satis constitit, sacras scripturas non esse quauis passim vulgari lingua vertendas, & omnibus sine discrimine concedendas; & errorem esse, asserere sacrum, vel diuina officia, vel publicas orationes aliter non licere, quàm lingua vulgari fieri, vel id magis expedire, vel non prodesse, vel non decere. Et constitit id esse contra sacras literas, sacros Ecclesiæ Doctores, contra Pontificum, & Conciliorum decreta, contra traditionem ipsam Apostolicam, & denique contra rationem ipsam naturalem, nec vlla esse ratione hoc illis peten-

tentibus permittendum, exclusis postremò aduersariorũ obiectionibus. Quamobrẽ si quis dictis nolit acquiescere, non solùm hæresis perniciosissimæ, sed ingentis impudentiæ & summæ stultitiæ erit meritò condemnandus. Hæc habui, quæ pro veritate contra errorem, pro recto vsu contra abusum, pro reuerentia diuinarum scripturarum, officiorum, ac sacrosancti sacrificij Missæ aduersus prophanam irreuerentiam, & impietatem hæreticorum, quantum Christi gratia aspirauit, dicerem. Laus Deo patri, & filio, & spiritui sancto, per infinita secula seculorum, Dominoque nostro Iesu Christo, & Virgini sacratissimæ Mariæ, eius matri gloriosissimæ, in quorum gloriam & honorem maiorem, & eorum qui à recta via aberrarunt conuersionem atque salutem, hæc omnia cedant, Amen.

Si quis his dictis nolit acquiescere, non solũ hæresis, sed summæ impudentiæ, & stultitiæ erit condemnandus.

FINIS.

FINE

Pagina 48. lin. 1. legendum Græci lin. 5. Græca

